SPECIMEN

PATHOLOGIAE GENERALIS

VETERUM GRAECORUM.

SCRIPSIT

SOPHOCLES AB OECONOMUS
DR. MEDICIN. ET CHIRURG.

BEROLINI
TYPIS ACADEMIAE SCIENTIARUM
MDCCCXXXIII.

PROSTAT I. A. LIST.

Οὐδενὸς ἀνθρώπου βίος ἐξαρκέσειεν ἂν ὡς ἐπὶ πάντων ἐλθεῖν, καὶ ἕκαστον ἀκριβῶς ἐπιδεῖν καὶ ἐπιδόντα κρῖναι, καὶ κρίναντα ἑλέσθαι, καὶ ἑλόμενον φιλοσοφῆσαι.

LUCIANUS in Hermotimo.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO, SUMME VENERANDO

CONSTANTINO AB OECONOMO

CONSTANTINOPOLITANI PATRIARCHALIS THRONI OECONOMO AC ORATORI TOTIUS SACRAE ECCLESIAE ORTHODOXAE, ASSESSORI ACADEMIAE ECCLESIASTICAE PETROPOLITANAE ATQUE KIAEVIENSIS, SOCIO CAES. ACADEM. RUTHENICAE, UNIVERSITATIS PETROPOLITANAE ATQUE MOSCOVIENSIS, ACADEMIAE SCIENTIAR. BEROLINENSIS, SOCIETATIS PHILOLOGORUM VARSOVIENSIS, EQUITI INSIGNIUM ST. ANNAE ET AQUILAE RUBRAE ETC.

IN TESSERAM AMORIS ET GRATITUDINIS

OFFERT

FILII PIETAS.

PROOEMIUM.

Satis iam ab antiquissimis temporibus extra aleam dubitationis positum est, historiam medicinae, quae placida, experimenta opinionesque oculis proponit, medico elegantiori magni momenti esse atque multum emolumenti adferre. Quam ob rem iam ab initio studio historiae medicinae, (quod eheu! a medicis nostri aevi perquam male negligi adcuratus epidemiarum historiographus amantissimus Heckerus, monet atque mascule coetum medicorum exhortatur ad studium historiae medicinae ([1])), incumbens atque antiquitates eius sedulo perlustrans, necessarium duxi aliquid de Graecorum veterum Pathologia generali in medium proferre, proponens in conspectum, quid instauratores totius medicinae de doctrina pathologica excogitaverint atque experientia edocti fuerint. Ex paucis autem

---

(1) *Historisches Studium der Heilkunde; in der medicin. Zeitung 2ter Jahrgang,* No. 26. pag. III. *Berlin* 1833.

istis, quae in hac dissertatiuncula exposui, elucebit, quam plurima Graecis nota fuerint, quae passim in compendiis pathologicis recentiorum medicorum occurrant. Studium medicinae Graecanicae medico sufficientem materiam suppeditat non tantum ad antiquitates eius illustrandas, verum etiam ad morborum exactam ac securam medelam mirum in modum ducit. Quare miror admodum, quod medicorum Graecorum studium adeo nunc friget, ac vix quisquam veteranus in studio medicinae et linguae Graecanicae invenitur! Qualis error, quem mens humana patitur! Tempus nunc est, ut studium medicinae Graecanicae inter medicos resuscitetur, numerusque doctorum virorum in hoc studio multiplicetur, quorum proh dolor!

Numerus vix est totidem, quot
Thebanarum portae vel divitis ostia Nili;

et iactitatio medicorum illorum, qui praeter praxin et panem nihil aliud quaerunt, nummosque plus quam virtutem aestimant, aut ambiguis et ieiunis sentetiolis, disceptationibus in res tam humiles, futiles, steriles aridasque et usu et fructu carentes artem medicam defoedant; tragelaphicae morborum denominationes, quae multifarie contrarium indicant, quam quod debent indicare et alia

multa, quae neglectio litterarum humaniorum in medicinam producit, ad undas letheas committantur et honor antiquitatis debitus resuscitetur ([1]). Insigne enim emolumentum, quod medicus a studio medicinae Graecanicae persentiat, abunde docent virorum laudabiliorum magna illa nomina, Langii, Lindenii, Hoffmanni, Meibomii, Schulzii, Hahnii, Almelovenii, Copii, Richteri, Trilleri, Hebenstreitii, Gruneri, Baldingeri et aliorum virorum celeberrimorum, quibus Batavia, Germania, Graecarum musarum altrix et unica fere sedes, abundavit. Sed haec pauca et obiter, ne praesentis aevi vituperator admiratoribus novorum videar.

Nunc vero manum de tabula! Vale igitur, Lector benevole, atque da veniam male prolatis, invenustis, aridis, ieiunis, torpidis, obscuris, asperis et luxuriantibus, atque cunctis erroribus aequum ac iustum iudicium adferras. Vale iterum iterumque, et studium medicinae Graecanicae diligentius pervolvere, artisque veterum observationibus coniungere recentiorum inventa velis, ut habeantur optimae medicinae fundamenta, sicuti illustr. Switenius, summus ille Hippocraticae medicinae

([1]) Sit apud te honor antiquitatis. Plin. Lib. VIII. cap. 2.

aemulus, docte pronunciavit(¹). Neque enim omnia veteres habent, quae recentiores, nec recentiores rursus omnia, quae veteres. Concordia ideo atque felix conubium cum inventis veterum et recentiorum (²) semper esto, ex quo artis nostrae progressus multis coronis celebriores reddentur.

Τοῦτ' εὔχομαι! τοῦτό μοι
Ἥδεται ἐλπὶς γλυκεῖα!

Scribebam Berolini die xx. Jul. MDCCCXXXIII.

(¹) Commentar. in H. BOERHAAVE Aphorism. §. 3. pag. 6. Tom. I. Lugd. Bat. 1740. 4.

(²) Multas inventiones policetur nobis Anatomia pathologica, cuius studium omni medico necessarium esse, cum aliis ingeniosissimus et indefessus Dr. P. PHOEBUS, amicus meus carissimus, (*Einige Bemerkungen über die Benutzung der Pathologischen Anatomie etc.* pag. 143.) abunde demonstravit.

INTROITUS.

§. 1. Artis salutiferae incunabula cum generis humani primordiis intime coniuncta esse, atque simul progressum fecisse, ratio ipsa docet ([1]); homines enim, quum iniurias externas, quibus erant obnoxii, arcere vellent medicinam conformare inceperunt ([2]). Hoc autem incitamentum omnibus gentibus innatum esse, satis iam notum est. Qua de causa medicinam Graecorum propriam ac ingenitam iis fuisse persuasum habeo, neque cum illustri HALLERO ([3]) aliisque viris doctis consentire possum, qui medicinam Graecorum ab Aegyptiis deducunt. Medicina vero Aegyptiorum ante Ptolemaeorum tempora rudis, lacera ac imperfecta fuit ([4]); utpote quum Aegyptii superstitione adeo imbuti fuere, ut omnem fere bestiam sacram fecerint, quare non illepide risit gentem hanc IUVENALIS

> Quis nescit; qualia demens
> Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat
> Pars haec; illa pavet saturam serpentibus Ibim.
> Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
> Dimidio magicae resonant etc. ([5]).

Graeci autem tantis erroribus famam suam non maculaverunt, atque mores Aegyptiorum irriserunt ([6]), neque cul-

---

([1]) ROSAR. SCUDERI *introduzione alla storia della medicina* p. 2. (*Padova* 1824. 8.).

([2]) Αὐτὴ γὰρ ἡ ἀνάγκη ἰατρικὴν ἐποίησε ζητεῖσθαι καὶ εὑρεθῆναι ἀνθρώποισιν. HIPPOCR. de vet. medicin. p. 9. ed. Foesii.

([3]) Bibliothec. medico-practica Tom. I.

([4]) CHR. G. GRUNER Analect. ad antiquit. med. p. 49. (Vratislav. 1774. 8.).

([5]) Satyr. XV. v. 1. seq.

([6]) I. N. WEISS, de re medica veter. Graecorum p. 7 (Altorf. 1746. 4.).

turam ab Aegypto acceperunt, uti clare optimus quisque scriptorum docet ([1]), atque passim constat ex eruditis disquisitionibus ethnographorum ac philologorum publicis litteris monumentisque consignatis, incolas primos Graeciae non Aegyptios sed Pelasgos fuisse. ([2]). Graeci sicuti omnes artes bonas primi composuerunt ac perfecerunt ([3]), ita etiam ad stabiliendam atque promovendam medicinam sagaces se inventores praestiterunt; adeo ut haec una gens solidioris medicinae gloriam quondam veluti patrio iure sibi adsciverit, uti egregie summus BAGLIVIUS pronunciavit ([4]), cui FREINDIUS ([5]), veteranus in arte medica BLUMENBACHIUS ([6]), atque doctissimus ac cel. HECKERUS ([7]) consentiunt. Ex his igitur patet, quam sit verum, quod SYDENHAMUS, magnum medicinae lumen, pronuntiavit, ,,ut quis primas aedificiorum, aut vestimentorum usum ad depellendam coeli inclementiam instituit nemo facile dixerit, ita et

---

([1]) *Weder in Aegypten noch in Indien, weder in Palaestina noch in Rom, sondern allein in Griechenland sind die ersten Keime der wissenschaftlichen Cultur aller menschlichen Kenntnisse zu suchen.* K. SPRENGEL *Geschichte der Arzneykunde*, I Bd. p. 271. (*Halle* 1821. 8.) *conf.* D. TIEDEMANN, *Griechenlands erste Philosophen. Leipz.* 1780. 8.

([2]) vide inprimis opus patris mei carissimi inscriptum Περὶ τῆς συγγενείας τῆς Σλαβονο-ρωσσικῆς Γλώσσης πρὸς τὴν Ἑλληνικήν. Tom I. praef. pag. CXVI. (Petropoli 1828. 8.) conf. ADELUNG's *Mithridates* 2. Bd. MÜLLER Aeginet. p. 9. Orchom. p. 125. 437.

([3]) CONDILL. *sur l'origine des connoissanc. humain.* Tom. I. p. 353. conf. D. RUHNKENII Oratio de Graecia artium ac doctrinarum invetrice, Lugd. Bat. 1757. 4.

([4]) Prax. medic. L. I. Cap. 10. p. 119. (Oper. Lugd. 1704. 4.).

([5]) Historia medicinae p. 198. (Oper. omn. Paris 1735. 4.).

([6]) Introd. in histor. medic. litterar. p. 16. (Gotting. 1786. 8.).

([7]) *Den Griechen verdanken wir die erste wissenschaftliche Begründung der Arzneikunde, durch denselben Geist, der den Grund zu allen übrigen Künsten und Wissenschaften legte, und viele zu idealischer Vollkommenheit erhob. Geschichte der Heilkunde.* 1 Bd. p. 47. (*Berlin* 1822. 8.).

Artis medicae Natales, ut Nili fontem indigitare nequimus." ([1]).

§. 2. Ars medica, quae secundum HIPPOCRATEM est adiectio et detractio, aut secundum auctoritatem aliorum scientia sanitatis conservatrix, morborum depultrix ([2]), naturam inprimis indagat humanam, quippe quae est omnis sermonis et ratiocinationis principium in medicina ([3]). Notione congrua naturae humanae dilucidantur omnia, quae naturali statu accidunt, sicuti etiam ea, quae in praeternaturali vitae statu observantur, et quae ad morborum indolem, genium, progressum, eventum ac medelam contribuunt, quod gravissima illa HIPPOCRATIS verba νόσων φύσεις ἰητροὶ ([4]) iam abunde docent.

§. 3. His autem satisfacturus medicus scientia de morbo eget, quae a Platone iam medicinae partibus adnumerata est ([5]). Pathologiam vero sub GALENI temporibus medicinae partibus adnumerabant veteres, et forsan e cathedra docebant, quum multi libri pathologici conscripti essent. Quo vero modo doctrina de morbo tradita sit, nescimus, cum testimonia de studio medicinae Graecanicae deficiant.

Pathologia triplici modo considerat morbum secundum triplicem eius a norma declinationem. Omnis enim status corporis a norma abludens, GALENO docente, vel morbus vel causa, vel symptoma eius est ([6]). Quare in tres libros

---

([1]) Observation. medic. circa morb. acut. histor. et curat. p. 6. Oper. omn. Tom. I. (Genev. 1754. 4.).

([2]) GALEN. Introduct. cap. 6. p. 687. Tom. XIV. ed. Kühn.

([3]) Ἀρχὴ τοῦ σώματος ἀρχὴ τῷ ἐν ἰατρικῇ λόγῳ HIPP. de loc. in homin. pag. 408.

([4]) HIPP. Epid. L. VI. S. V.

([5]) DIOG. LAERT. L. III. §. 85.

([6]) GALEN. de constit. med. c. 14, 18. p. 272, 276. de diff. morbor. cap. 1. p. 42. Meth. med. L. II. c. 2. p. 86. Comm. II. in HIPP. libr. de humorib. t. 26. p. 295.

divisimus tractatum hunc, et distinctis sectionibus pertractavimus, quae veteres notatu digna posteritati tradiderint.

§. 4. Priusquam vero pathologiam secundum triplicem istam divisionem adgredimur explicare, historiam eius praemittere iuvabit, ut videamus principium, acmen et declinationem eius auctoresque, qui de ea scripserint, nobis innotescant.

CONSPECTUS PATHOLOGIAE HISTORICUS.

§. 5. Primordia Pathologiae Graecanicae perscrutantes invenimus ista antiquissima quidem, sed superstitionis caligine obnubilata. Nam medicina antiquissimorum hominum rudi empiria et superstitione imbuta fuit, quam serius intellectus et rationis leges in scientiam sustulerunt. Antiquissimi Graeci primo morborum aetiologiam perscrutabantur. Morbos vero a Diis excitari crediderunt, unde eos sacrificiis studebant placare (¹). Sic divus HOMERUS canit:

Πατρὸς, ὅς ἐν νούσῳ κεῖται κρατερ' ἄλγεα πάσχων
Δηρὸν τηκόμενος, ςυγερὸς δὲ οἱ ἔχραε δαίμων (²).

SOPHOCLES etiam, poëta ille iucundissimus ac mihi semper carissimus, eandem opinionem exprimit hoc versu:

Δέδοικα μή 'κ Θεοῦ πληγή τις ἵκοι (³).

lues etiam varias a Diis et praecipue ab Apolline excitari praeter HOMERUM (⁴), HIPPOCRATES (⁵), AESCHINES ora-

---

(¹) Morbos tum ad iram deorum immortalium relatos esse et ab iisdem opem posci solitam. Cels. praef. L. I.

(²) Odyss. R. V. v. 345.

(³) Aiac. v. 279. Schol. ad h. l.

(⁴) Iliad. R. I. v. 22-52.

(⁵) HIPPOCR. de morb. sacro p. 301.

tor ([1]), PLUTARCHUS ([2]), DIONYSIUS HALICARNASSEUS ([3]), DIODORUS SICULUS ([4]), et alii multi auctores docent. Per Apollinis autem personam veteres solem, utpote sanitatis fontem, intellexerunt ([5]).

Suprema haec vis nonnullis etiam deabus adscripta fuit. Artemis enim credebatur pestilentiam arcere et utero gestantibus opitulari ([6]). Veterum nonnulli per Artemidis nomen lunam intelligi crediderunt ([7]). Pallas etiam sapientiae et litterarum artisque medicae praeses, uti invocationes et inscriptiones ob restitutam sanitatem dedicatae magnopere confirmant ([8]), miseris hominibus morbos mittere credebatur, et maxime a SOPHOCLE ob id celebrata fuit ([9]).

§. 6. In Aesculapii templis, quae in omni fere Graeciae urbe erecta erant ([10]), et in quibus incubabant aegroti, morboque superato historiam votivis tabulis inscriptam in ipsis templi columnis suspendebant ([11]), thesaurum obser-

([1]) Epistol. ad Philostratum p. 658. ed. Reiske. De hac lue sive vitiliginosa, sive elephantiasi vide doctissimum HIERON. MERCURIAL. Var. lection. L. III. c. 18.

([2]) De iis, qui sero a numine puniuntur p. 204. Tom. VIII. ed. Reiske.

([3]) Histor. roman. L. IX. c. 12.

([4]) Bibliotheca L. XIV. c. 17.

([5]) THEOPHRAST. de igne. EUSEBIUS praepar. Evangel. L. VII. c. 2. p. 299. MACROB. Saturn. I. c. 17. Somn. Scipion. L. I. cap. 6. conf. SCHULZE historia med. p. 72. CREUZER's *Symbolik* 2. Th. pag. 159. ed. alt. (*Leipzig* 1819. 8.).

([6]) SCHULZE histor. medic. p. 73.

([7]) PLUTARCH Symposiac. L. III. 10 p. 614. Tom. VIII.

([8]) GRUTER. Corp. Inscript. MLXVII. 4. MLXIX. 3. conf. HUNDERTMACK de principibus diis artis medicae tutelaribus etc. pag. 9. (Lipsiae 1735. 4.).

([9]) Aiac. v. 450-452.

([10]) vide SCHULZE histor. medic. p. 117.

([11]) Votivas tabulas SPONIUS (Miscellan. erudit. antiquit. p. 132. Lugd. 1685. fol.), ac GRUTERUS (Corp. inscript. Vol. I. p. LXXI. ed. Graev.) divulgarunt. Modum, quo aegri in faunis deorum incuba-

vationum suppeditabant medicis tum temporis, qui ducti causas similes morborum ac symptomata in alio subiecto occurentia cognoscebant, adnotabant, comparabant, et exitum malum aut bonum praedicabant, quo Pathologiae germina paulatim propullulare inceperunt.

conf. Car. Fr. Hundermark, de incrementis artis medicae. Lipsiae 1749. 4.

H. Conrigii, de incubatione in fanis Deorum Medicinae causa olim facta. Helmstadii 1659. †

§. 7. Aesculapii successores posteri scientiam medicam, quae ante haereditario modo exercebatur, propagantes et communicantes multis ([1]), scholas, tunc temporis extensae famae multas erexere. Celebratissimae vero istarum scholarum fuerunt Cnidia et Coa, quae controversias inter se habebant ([2]). Merita autem scholarum istarum ad incrementum Pathologiae varia existunt. Cnidii medici simplicissimis morborum observationibus indulgebant, et morbi antecedentia symptomata sedulo adnotantes causas autem eventusque eorum sive prosperos sive malos parum curabant. Negligebant ex cognitis corollaria ducere et morbos scientifica divisione determinare; imo multiplicabant numerum et nomina morborum secundum quodlibet symptoma, sic ex. gr. habebant septem species morborum bilis, duodecim vesicae etc. Galeno docente ([3]), quod qui-

bant exhibet monumentum aliquod, quod in insula Samo vidit Turnefortius ac suo itinerario (*Relation d'un Voyage de Levante Let. X.* Tom. I. p. 167. *Amstel.* 1718. 4.) depinxit. Propter restitutam sanitatem non tantum istas tabulas votivas suspendebant in templis, sed etiam membra, quae laboraverunt, e varia materia confecta diis servatoribus (Pausan. L. X. c. 2) dicarunt. Historiam vero istorum ἀναθημάτων conscripsit Menetor (Athen. Deipnos. L. XIII. p. 66. ed. Schw.), quae proh! dolor periit.

([1]) Galen. Administ. anatom. L. I. c. 1. p. 281, Tom. II. conf. Plato de republic. L. X. p. 464.

([2]) Galen. Meth. medend. L. I. c. 1. p. 5. Tom. X.

([3]) Comm. in L. I. Hipp. de rat. vict. in acut.

dem tironibus molestum et arte inutile est, unde divus SENEX COUS medicos illos vituperat, cuius verba hic proponimus: Οἱ ξυγγράψαντες τὰς Κνιδίας καλεομένας γνώμας, ὁκοῖα μὲν πάσχουσιν οἱ κάμνοντες ἐν ἑκάστοισι τῶν νουσημάτων ὀρθῶς ἔγραψαν, καὶ ὁκοίως ἔνια ἀπέβαινεν αὐτέων καὶ ἄχρι μὲν τουτέων καὶ μηδὲ ἰητρὸς δύναιτό τις ἂν ὀρθῶς ξυγγράψαι, εἰ εὖ παρὰ τὴν καμνόντων ἑκάςου πυθοίητο ὁκοῖα πάσχουσιν· ὁκόσα δὲ προκαταμαθεῖν δεῖ τόν ἰητρὸν μὴ λέγοντος τοῦ κάμνοντος τουτέων τὰ πολλὰ παρεῖται, ἄλλα ἐν ἄλλοις καὶ ἐπίκαιρα ἔνια ἐόντα πρὸς τέκμαρσιν ... τὰς μέντοι πολυτροπίας τὰς ἐν ἑκάστῃσι τῶν νούσων καὶ πολυσχιδίην αὐτέων οὐκ ἠγνόουν ἔνιοι· τοὺς δὲ ἀριθμοὺς ἑκάστου τῶν νουσημάτων σάφα ἐθέλοντες φράζειν οὐκ ὀρθῶς ἔγραψαν (¹). Itaque palam fit medicos istos tantum in colligendis observationibus occupatos fuisse, quod parum eos rationales declarat, sed magis empiricos (²). Aliter autem in celeberrima COA Schola Pathologia amplificabatur. Reiecta enim rudiore empiria Coaci Asclepiades morbos secundum eorum phaenomena externa perscrutabantur neque subtilibus discriminibus eos determinabant. Medici isti rationales erant. Morborum causas haud raro in humorum mala mixtione quaesivere (³) atque symptomatologiam ac semioticam clare navavere. Meritoque scholae istius apud omnes medicos auctoritas magna fuit, propter rei tractatae gravitatem, methodum et rerum inventarum copiam, uti bene monet summus BAGLIVIUS (⁴).

§. 8. Ast mens humana studet semper, qua pollet facultate divina, ad sublimiora se evehere, et quaerit causas et leges naturae, secundum quas omnes res in rerum na-

---

(¹) HIPP. de ration. vict. in acut. p. 283.

(²) v. CLERC *Histoire de la Medecine* P. I. L. II. c. 2. *Amstel.* 1723. 4. conf. JOH. G. ZIMMERMANN *von der Erfahrung in der Arzneykunst* p. 125. (*Zürich* 1831. 8.).

(³) Coac. praenot. V. 14.

(⁴) Prax. medic. L. II. c. 3. §. 1. p. 170.

tura conformantur. Nam cum medicina talem viam incepit ingredi ab impulsu Asclepiadarum, et progressus Graecorum in culturam incepit coronari radiis Philosophiae, rerum divinarum humanarumque comprehensionis ([1]), qua sacerdotum mysticismus revelatus fuit, scientia medica tota magis magisque incepit in altum tolli et philosophico lumine illustrari. Medicina enim a philosophis colebatur, ([2]), qui una cum theoria animae inquirebant causas coctionis, actionis sensuum, et inprimis quomodo causae morborum ad generationem eorum agerent ([3]); philosophi Graeci quaerebant ideis mere philosophicis morbos explanare ([4]), utpote cum theoria physicae ulterius explicandae apprime iuservit ([5]). Inter philosophos autem, qui de morboso statu vitae cogitavere, pertinent PYTHAGORAS, ALCMAEON, EMPEDOCLES, ANAXAGORAS CLAZOMENEUS et DEMOCRITUS, quorum diversas theorias de morbo paragraphus sequens exponet.

§. 9. PYTHAGORAS Samius, philosophorum antiquissimus, qui studium physices cum medicina iunxit, sequenti modo de sanitate ac morbo ratus est. Sanitas est species consistentiae, morbus autem eius violatio ([6]). Causas morborum perscrutabatur sedulo ac inprimis excessu in potu, cibo ac rebus venereis morbos oriri optime adnotavit ([7]).

ALCMAEON, Pyrithi filius, qui magno cum studio anatomia comparativa indulgebat, sanitatem posuit in aequabilia distributione ac proportione callidi frigidique, sicci

([1]) GALEN. de histor. philosoph. c. 3. p. 231. Tom. XIX.

([2]) „Primo quae medendi scientia sapientiae pars habebatur, ut et morborum curatio et rerum naturae contemplatio sub iisdem auctoribus nata est." CELS. praef. L. I.

([3]) K. SPRENGEL *Geschichte der Arzneyk.* 1 Bd. p. 281.

([4]) KIESER *System der Medicin* 1 Bd. p. 16. (*Halle* 1817. 8.).

([5]) WEISS l. c. p. 25.

([6]) DIOG. LAERT. L. VIII. 35.

([7]) Id. l. c. segm. 9. 19.

atque humidi, amari atque dulcis et similibus contrariis proprietatibus, morbum vero perturbationem istius proportionis esse dixit ([1]). Haec autem theoria suffulta est Pythagoris harmoniae, qua ille sanitatem comprehendebat, sed generalis illa theoria ab ALCMAEONE cum proprietate vitae animalis coniuncta est, uti KÜHNIUS monet.

Alcmaeonem secutus est EMPEDOCLES, qui primus fusius, quam Orphici et Pythagoras, docuit theoriam quatuor elementorum, aquae, terrae, aëris et ignis ([2]). Ex quatuor istis elementis per amicitiam et inamicitiam corpora omnia oriuntur et disiunguntur, quae tamen suam indolem non commutant ([3]). Morborum contagiosorum causam in aere atque stagnantibus aquis statuit ([4]).

ANAXAGORAS, coaevus Empedoclis, credidit corpus componi ex similibus materiis, quae per affinitatem electivam inter se coniungerentur atque vitam constituerent. Morborum acutorum causam bilem esse statuit, quae abundans in pulmones venas et pleuram adfluit. Opinioni autem huic contradicit summus ARISTOTELES, qui cadaverum sectione in multis eiusmodi casibus bilem causam non esse probavit ([5]). Sed antiqua est opinio haec de acrimonia biliosa, quam ANAXAGORAS e causo (καῦσος) ad reliquos acutos morbos referebat ([6]).

DEMOCRITUS, vir iure magni nominis, atomorum theoriae auctor, credidit eos esse indivisibiles et nulla qualitate

---

([1]) PLUTARCH. de placit. philosoph. L. V. 30. p. 608. Tom. IX. GALEN. hist. philosoph. c. 39. p. 342.

([2]) SPRENGEL *Geschichte* etc. 1 Bd. p. 307.

([3]) DIOG. LAERT. L. VIII. 76. GALEN. de const. medicin. c. 7. pag. 248.

([4]) PLUTARCH. adv. Colotem p. 628. Tom. X. de curiosit. p. 47. Tom. VIII. DIOG. LAERT. L. VIII. 70.

([5]) ARISTOT. de partib. anim. L. IV. c. 2. p. 776. (Aurel. Allobr. 1605. f.).

([6]) HECKER l. c. 1 Bd. p. 94.

participari, et perpetuo moveri per mutuam repercussionem et πλοκήν (¹). Morbos pestilentiales credidit oriri a dissolutione corporum, e qua atoma in terram cadunt, quae tales pestilentias generant (²).

conf. KÜHN, de philosophicis ante Hippocratem medicinae cultoribus. Lipsiae 1781. rec. in eiusd. opuscul. medic. philol. Vol. I.

H. DODWELL, Exercitationes duae: prima de aetate Phalasidis; altera de aetate Pythagorae philosophiae. Londini 1704. 8.

§. 10. Talis fuit Pathologiae status ante HIPPOCRATEM nunc manifesta morborum symptomata in sensus cadentia observando, nunc causas morborum observatione ipsa eruendo et praesagiendo futurum statum ex praesenti aegrotantium statu, nunc autem origines morborum ex perturbata harmonia et inaequali elementorum temperie mixtione etc. explicando (³), ubi vacillans Pathologia inter theoriam meram et empiriam rudiorem, rudem ac indigestam molem praestabat, cum medici non quaererent magna cum exactitudine dirimare corporis humani statum morbosum, sed magis philosophicis disceptationibus et disquisitionibus indulgerent negligentes fundamentalem ac verum medicinae scopum, quare postea divinus SENEX COUS conquerebatur, multos medicos fama quidem et nomine, re autem et opera valde paucos dari (⁴). Revera genuini, ac veri medici pauci et in antiquitate fuere et magnopere pauci nostris etiam diebus ac quasi rari nantes in gurgite vasto existunt!

(¹) DIOG. LAERT. L. IX. 34. GALEN. de element. L. I. c. 2. p. 416. CICER. Academ. IV. 37. PLUTARCH. de placit. phil. L. 1. 13.

(²) PLUTARCH. Symposiae. L. VIII. 9. p. 924.

(³) I. C. ACKERMANN institutiones historiae medicin. p. 67. (Norimb. 1792. 8.).

(⁴) de lege §. 1.

§. 11. Hippocrates Cous, qui novam formam medicinae dedit, divino quasi lumine ductus perscrutatus est theorias ac ratiocinia antecessorum suorum, et ea tantum, quae structura partium et observatione nitebantur, retinuit ([1]). Vir iste rarissimi ac stupendi ingenii, potius divinae quam humanae naturae progenies

- - - - - - - - - Οὐ δὲ ἐῴκει
Ἀνδρός γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο ([2]).

in rebus omnibus, quae ad morborum naturam, causas, symptomata ac signa spectant, animum maxime direxit. Componitur corpus humanum, secundum auctoritatem magni Coi, tribus ex partibus, solidis nimirum, humidis et spiritubus ([3]). Solidae partes sunt ossa cartilagines, tendines etc, humores autem quatuor, sanguis, pituita, bilis flava et atra. Sanitas consistit in aequilibrio humorum istorum, si vero isti quantitate vel qualitate turbati fuerint morbum producunt ([4]). Vires autem quam maxime aequilibrium harmoniae sanitatis turbant et morbos producunt ([5]). Anni tempora praecipue symbolam suam conferunt at humorum quantitatem mutandam. Hiberno tempore exuperat pituita, et ex hac oriuntur oedemata atque secretiones augescunt, unde catarrhi etc. oriuntur; vere autem sanguis, qui haemorrhagias producit, aestate bilis flava, ex qua vomitus biliosi, diarrhoea, febres intermittentes et aliae multae molestiae; autumno tandem bilis atra et ex hac febres eraticae, hydropes, lienteriae, dysenteriae

([1]) vide Fr. G. Jacobi philosophiae Hippocraticae specimen, Lipsiae 1742.

([2]) Hom. Iliad. R. XXIV. v. 259.

([3]) Hipp. Epid. L. VI. S. VIII. p. 199. conf. Galen. de rigore palpit. c. 5. p. 597. Alexander Aphrod. de febribus c. 17. p. 23. ed. Passow.

([4]) Hipp. de natur. human. de prisca medicin.

([5]) Hipp. de prisc. medic. p. 16.

etc. Momenta etiam externa, anniversarias nempe coeli tempestates, peculiares aeris vicissitudines, aestus, frigora, imbres, squalones, ventuum furiones, situm regionum, naturam solis, ortum et occasum astrorum, montium exhalationes maximam symbolam conferre ad morbos producendos miro in modo docuit ([1]). Definivit primus optime periodos morborum cruditatem nempe, coctionem ac crisim, atque credidit materiam morbificam a vi vitali antequam eliminata fuerit, primo coqui ac praeparari debere. Tale autem fuit systema pathologicum viri summi, qui a nemine edoctus artem machaonicam titubantem densa caligine claram ac stabilem fecit ([2]), atque insignes in ea progressus fecit ([3]); etsi divus HIPPOCRATES, cui fama et auctoritate vix par existit ([4]), a quibusdam recentiorum ([5]) perperam vituperatur, tamen homunculi isti βωμολόχοι a doctis viris deridentur, atque contra eos de viro, quem „secula nulla tacebunt," multa dicere verba indignum putamus!

conf. IOH. BAPTIST. MONTANI, de idea Hippocraticae doctrinae. Vienae Austr.,1550. 4. [liber sine paginis ac totam doctrinam Hippocratis in duobus foliis confuse exponens.]

K. SPRENGEL, *Apologie des Hippocrates etc.* 2. Bd. *Leipz.* 1789-92. 8.

I. N. RINGSEIS, de doctrina Hippocratica et Browniana. Norimbergae 1813. 8.

H. F. LINK, *Über die Theorien in den Hippokratischen Schriften, nebst Bemerkungen über die Ächtheit die-*

([1]) HIPP. de natur. human. de aere, aquis et locis, de humoribus, de morbis L. IV. de diaeta. L. I. Aphorism. III.

([2]) GALEN. introduct. c. 1. p. 67.

([3]) WIL. WOTTON *Reflexions upon ancient and modern learning. London* 1694.

([4]) BLUMENBACH l. c. p. 22.

([5]) Biblioth. Anglic. Tom. XIV. p. 200. seq.

ser Schriften, in den Abhandl. der Königl. Acad. der Wissensch. in Berlin, aus den Jahren 1814-1815.

I. K. Müller, rudimenta doctrinae Hippocraticae verae. Halae 1815. 8.

G. N. Wülfke, Comment. inaug. exhibens brevem de Hippocrate, Hippocratisque monimentis disquisitionem. Kiliae 1823. 4. †

§. 12. Mortuo Hippocrate doctrina de morbo aliam viam incepit ingredi. Philosophia, quae post Solonis mortem regnabat, opinionum commentis, minutis et ridiculis contaminata erat, atque omni severitate primorum fundamentorum ac claritate totius nexus destituta erat, uti peripateticus Aristocles monet ([1]); philosophique atque mathematici contra medicos de instabilitate medicinae multa perorantes, medicos coëgerunt, ut medicinam fundamento securo superstruent ([2]). Primam ambagem in theoria luxuriosa medica Hippocratis filii, patris vestigia non exacte sequentes, fecerunt, varia commenta e sectis philosophorum in medicina introducendo. Thessalus et gener Polybus hanc de Pathologia opinionem habuerunt: Thessalus omnes morbos internos e bile et pituita oriri statuit, quanquam elementorum autocratoriam non denegavit ([3]). Polybus his addidit aquam et sanguinem, atque stomachum uti fontem omnium istorum humorum considerabat ([4]).

§. 13. Hoc autem tempore fundata est Academia, quae ad formam medicinae magnam vim exeruit, quae iam sub dogmatismi imperio subducta fuit a medicis. Prae aliis vero divinus Plato operam dedit ad perficiendum systema

([1]) Euseb. praepar. Evangel. II. 3. p. 510. conf. Sprengel *Geschichte* etc. I Bd. p. 424.

([2]) Hecker *Geschichte* etc. I Bd. p. 177.

([3]) Hipp. de morb. L. I p. 446.

([4]) Id. l. c. L. IV. p. 498.

pathologicum dogmaticum, cuius hic sequentem sciagraphiam exponimus.

Sanitas est harmonia partium singularum totius corporis, atque finis est vitae physicae. Vitae essentia est semper eadem ([1]). Morbus autem in genere est malum quodam, vel status quidam morbosus ([2]) atque similis est snbstantiae viventi, quae decursum definitum habet ([3]). Elementa autem sunt quatuor, ex quibus componitur corpus, quae exuperantia aut deficientia, aut ex alio loco ad alium translata morborum omnium proxima causa sunt ([4]). Corporis partes, medulla nempe, ossa, caro et tendines ex elementis componuntur eodem modo ac sanguis et humores inde secreti; ex elementornm anomala ratione corruptiones oriuntur et ex his morborum differentiae; caro liquescens corruptionem in venis mittit, ubi sanguis cum spiritu commixtus varium acquirit colorem, variamque amaritudinem, ab acidis salsisque inficitur saporibus, bilem, cruorem et pituitam multam gignit. Ex hac autem corruptione labefactatur nutritio, humores inordinate moventur et corporis partes solidae solvuntur ([5]). Quodsi partes musculares vetustae et durae liquefactae fuerint, color in atrum commutatur, amarities et acrimonia oritur et e nova commixtione sanguinis rubor, et tandem color flavus (bilis flava), si fibrae musculares recentes aestu liquefiunt. Pituita acris oritur ab atra acri bile, si adhuc addita fuerit pituita indolis salinae. Pessimi autem morborum omnium sunt qui in corruptione medullae fundantnr, quia propter hoc omnis compago corporis solvitur ([6]). Non paucos morbos producit

([1]) Plat. Phileb. Gorgia.

([2]) ἡ νόσος κακὸν etc. Plat. Lysis.

([3]) Πᾶσα γὰρ ξύστασις νόσων τρόπον τινὰ τῇ τῶν ζώων φύσει προσέοικε. Plat. timaeo p. 430. Tom. IX. ed. Bipontin.

([4]) Plat. tim. p. 413.

([5]) l. c. p. 415.

([6]) l. c. p. 415–416.

et spiritus; dum iste tendines et ligamenta replet, opisthotoni et tetani oriuntur ([1]). Bilis inflammata morbos acutos et ardentes procreat ([2]), a phlegmate autem fluxus complures, exanthemata uti albugines, leucae etc. qui omnes morbi mitiores sunt; si autem pituita cum atra bile coniuncta fuerit et ad caput ruit epilepsiam, morbum dirissimum producit: ignis etiam excessus febres continuas, aeris exuperantia febres quotidianas, aquae abundantia febres tertianas et tandem terra febres quartanas producit, cum terra elementorum omnium tardissima est ([3]). Excessum etiam in potum, cibum, somnum, motum etc. morbos producere cordate docuit. Morbos etiam animae non neglexit, quorum originem partim ab excessu in dolore et gaudio, partim in corpore ipso, uti in medulla spinali, partim etiam in educatione quaesivit.

conf. I. R. Lichtenstädt, *Platon's Lehren. Leipzig* 1826. 8.

§. 14. Neque Aristoteles, neque Theophrastus in Pathologia generali neglexere symbolam suam conferre. Aristoteles sanitatem in aequilibrio humidi et sicci, calidi et frigidi statuit, morbum vero in horum disturbatione ([4]). Humores etiam cardinales contribuunt ad humorum generationem ([5]), sicuti etiam momenta externe anniversaria, nempe coeli tempestates, siderum influxus etc. candide fatetur sanitatem humanam horrendo morborum sceptro gemere praedisponunt ([6]). Theophrastus etiam, vir ille summus ac vere pater Botanices, humoralem pa-

([1]) l. c. p. 419.
([2]) l. c. p. 420.
([3]) ibid. p. 422.
([4]) Problemat. Sect. I. quaest. 3.
([5]) ibid. I. quaest. 4. de partib. animal. L. II. Historia animal. Lib. III.
([6]) de somno et vigil. cap. 3. de partib. animal. L. II. c. 7.

thologiam coluit, uti ex aetiologia exanthematum videre licet ([1]).

§. 15. Post triumviros istos memoratu dignissimos inter Dogmaticos Diocles eminet; vir iste summus et Praxagoras et alii viri docti, qui post Aristotelem diligentius humani corporis fabricam scrutati sunt, mutationes quasdam in Pathologia introduxerunt, quas iuvat hic enarrare. Diocles, quem Athenienses ob merita sua magna alterum Hippocratem appellavere ([2]), statuit morbos oriri ex inaequalitate elementorum, ex contrario eorum statu et ex aeris constitutione ([3]). Humorum generatio dependet a certis anni temporibus; Pleiadum ortu bilis flava et humores amari serosique ad solstitium usque aestivum augentur ([4]). Praecipue autem eius opinio est sudorem non esse phaenomenon praeter naturam ([5]).

Praxagoras Cous, Dioclis coaevus, cuius merita in anatomiam magna sunt, statuit humorum corruptionem causam morborum esse ([6]). Ex nutrimentis calidioribus generatur bilis, unde morbi biliosi, ex frigidioribus pituita, unde pituitosi morbi ([7]). Proprium autem eius est, quod statuit iu humana physi decem esse humores, quos peculiari quodam modo appellavit, 1) dulcem (γλυκὺν), 2) aequabiliter temperatum (ἰσόκρατον); 3) vitreum (ὑαλοειδῆ); 4) acidum (ὀξὺν); 5) nitrosum (νιτρώδη); 6) salsum (ἁλυκὸν); 7) amarum (πικρόν); 8) poraceum (πρασοειδῆ); 9) vitelinum (λε-

---

([1]) de sudorib. p. 814. ed. Schneid.

([2]) Galen. de dieb. decretor. Lib. I. c. 2. Plin. Histor. natur. L. XXVI. Priscian. L. IV.

([3]) Galen. de histor. phil. c. 39. p. 344. Plutarch. de placit. Philosoph. L. V. c. 30. p. 609. Stobaeus Serm. xcviii. p. 540.

([4]) Epistol. ad Antigonum apud P. Aegin. L. I. c. ultim.

([5]) Galen. de symptom. diff. c. 6. p. 83.

([6]) Id. introduct. c. 9. p. 699.

([7]) Id. de natur. facult. L. II. c. 8. p. 117.

κιδώδη); 10) rasorium (ξυστικὸν) ([1]). Observavit etiam, quod pulsus est signum commutationis vitalis ([2]).

§. 16. Mortuo Alexandro Magno Aegyptus incepit fovere scientias omnes sub auspiciis Ptolemaei Soteris ac eius successorum. Reges illi laudatissimi ac humanissime scientias colentes praeclara instituta ac Bibliothecas ditissimas in Alexandria erexere, atque Alexandriam eruditionis omnis focum constituerunt ([3]), quare ob tot tantaque merita adpellati sunt Θεοὶ σωτῆρες ([4]). In schola Alexandrina, in qua anatomia melius exculta fuit, quam antea ([5]), Dogmatismus aliter conformatus est ab Herophilo et Erasistrato, qui sub Ptolemaeo primo in Aegypto claruerunt.

Herophilus in Pathologia secutus est Praxagoram ([6]), at causas procatarcticas neglexit ([7]), atque primus est Pathologorum, qui tremorem uti malum nervorum consideravit ([8]), repentinamque mortem, quae absque causa manifesta accidit, a cordis resolutione oriri optime monuit ([9]). Pulsum vero secundum modulos certasque leges metricas descripsit ([10]).

Erasistratus autem, neglecta humorum corruptionis theoria, pathologiam potius solidarem constituit ([11]). Morborum causas in aberratione humorum et pneumatis in loca

([1]) Ruphi Ephes. de appellat. part. homin. L. I. p. 44. ed. Clinch.
([2]) Galen. de dogmat. Hipp. et Platon. L. VII. c. 1 p. 508.
([3]) Strab. L. XVII. p. 793. Athen. Deipnosoph. L. IV. c. 83.
([4]) vide *Museum der Alterthums-Wissenschaft, herausg. von* Ch. A. Wolf *und* Ph. Buttmann 2 Bd. p. 119 (*Berlin* 1810. 8.).
([5]) Galen. de admin. anatom. L. I. c. 2. p. 220.
([6]) Id. de dogmatic. Hipp. et Plat. L. VIII. 5. p. 685. Plin. Hist. Nat. XI. 37. xxvi. 2.
([7]) Id. de caus. procatarct. c. 4.
([8]) Id. de loc. affect. L. III. c. 14. p. 212.
([9]) Cael. Aurelian. Chronic. L. II. 1. p. 348.
([10]) Plin. Hist. Natur. L. XI. c. 37.
([11]) Galen. de atra bile. c. 7. 8.

non sua, seu errore loci statuit fieri ([1]); remotiores autem causas vel in nimio, vel incocto, vel corrupto alimento quaesivit ([2]). Phantasiam vividam ad morbos praedisponere observavit, uti ex historia Antiochi apparet ([3]).

conf. Iac. Matter, *Essai historique sur l'école d'Alexandrie*. 2. Tom. *Paris* 1820. 8.

Chr. H. Beck, de schola medicorum Alexandrina. Commentatio. Lipsiae 1810. 4.

C. G. Kühn, Scholae medicorum Alexandrinae historia; in eius opuscul. Tom. II. pag. 298-305.

§. 18. Pathologia humoralis dogmatica in schola Alexandrina incepit degenerare ab increscente scholaismo. Medici enim dialectices deliriis obnubilati commentationi librorum indulgebant, atque praecepta immortalium virorum neglexere ([4]); quo factum est, ut medici ad Empiriam refluxum suum invenerint. Fundamentum autem scholae istius fuit experientia, a qua nomen deduxit ([5]), nec non analogia et epilogismus a Menodoto serius introductus ([6]). Historiam morborum, ac concursus symptomatum sedulo coluerunt, ac evidentes causas crediderunt necessarias ([7]).

Illuxerunt in hac schola Philinus Cous, fundator ipsius scholae, Serapion Alexandrinus et Heraclides Tarentinus, quorum ultimus maximam auctoritatem atque celebritatem inter empiricos obtinuit, atque causas occultas non neglexit, sed per experientiam studuit eas indagare et cognoscere ([8]).

([1]) Id de venaesect. adv. Erasistratum c. 3. p. 153. Tom. XI.

([2]) Id. histor. philosoph. c. 39. p. 344.

([3]) Id. de praecognition. c. 6. p. 630. Plutarch. vit. Demet. §. 38. Suidas voc. Ἐρασίστρατος.

([4]) Galen. Comm. II. in libr. de nat. human.

([5]) Id. de sectis c. 1. p. 65. Introduct. c. 2. p. 677.

([6]) Id. de subfigurat. Empiric. c. 13.

([7]) Cels. praefat. L. I.

([8]) Galen. de dieb. decret. L. I.

conf. Kühn, de Heraclide Tarentino Progr. I-III. rec. in eius Opuscul. Tom. II. p. 150-169.

§. 19. Serapionis successores cum Dogmaticis bella inania gerentes, atque rixas istas magna cum pertinacia quotidie foventes ([1]), (cum dogmatici empiricorum medicinam ab imperitia non differre dixerint ([2]), et empirici dogmaticos cum sophistis aequipararint ([3])), lapsum sectae empiricae festinabant. Hac ex causa, qui quaerebant rixas istas effugere, aliam viam ingressi sunt, et medicinam ex alio principio, mechanico nempe, deduxerunt, quod systema Methodicum audit.

§. 20. Systema methodicum principiis philosophiae Epicuri suffultum fuit, quod ab Asclepiade Bithyno in medicinam introductum est. Asclepiades primordia corporum cum Democrito et Epicuro atomos esse docuit ([4]): corpuscula autem haec intellectu sunt sensa, sine ulla qualitate solita atque ex initio comitata, quae si moventur aequaliter sine impedimento corpus sanitate fruitur, si autem corpuscula ista non servant legitimum inter se statum et turbantur, morbi causa evadunt ([5]). Impedimenta communissima motus corpusculorum sunt statio eorum in vias proprias vel ex multitudine, vel ex figura irregulari, vel ex velocitate, vel ex tarditate motus corpusculorum; non raro autem pori sunt male constituti ad recipienda corpuscula propter pororum raritatem et condensationem ([6]). Morborum tria summa genera statuit, 1^mum amplectitur morbos ex statione, quales sunt plethora, lethargus etc.; 2^dum

---

([1]) Hecker *Geschichte* etc. I. Bd. p. 337.

([2]) Galen. de optim. sect. c. 9, p. 124.

([3]) Id. Comm. II. de nat. human.

([4]) Galen. de theriac. ad Pison. c. 11. p. 250.

([5]) Id. Meth. med. L. IV. c. 4. p. 268. de diff. morb. c. 2. p. 839. Cael. Aurelian. L. I. c. 14.

([6]) Caelius l. c.

genus est morborum, quos magnitudo et raritas viarum producit, uti bulimus, hydropes etc.; 3tium tandem genus est liquorum et spirituum turbatio (1). Criticos dies negavit, atque in morbi naturam nihil conferre paradoxe imaginavit (2).

Hoc autem systema a discipulo eius THEMISONE LAODICEO excultum est. Vir tamen iste non ab innumeris praeceptoris placitis deflexit in senectute, uti perperam SPRENGELIUS monet (3), sed nondum purgatus erat ab Asclepiadis erroribus (4). Corpuscula in suo systemate recepit, credidítque causas morborum tam latentes quam manifestas nihil conferre ad cognitionem morborum, sed communia quaedam ratus est, atque morbos ex parte laxos, strictos et mixtos credidit fieri, statuitque tres singulas morborum classes (5). Perfecit systema hoc THESSALUS TRALLIANUS. Eminent in hoc systemate CELSUS atque CAELIUS AURELIANUS, qui magna cum ἀκριβείᾳ systematis methodici synopsin reliquit. CAELIUM recte C. BARTHOLINUS logicorum atque empiricorum quendam generalem censorem aut criticum adpellat (6), male autem GRAENGERUS eum omnibus Graecis et ipsi ARETAEO praeferendum esse testatur (7).

conf. P. G. WERLHOF, Diss. de medicina sectae methodicae veteris eius usu et abusu. Helmst. 1723. rec. in eius Oper. medic. Tom. I. p. 1-36.

P. ALPINUS, de medic. method. Lugd. Batav. 1719. 4.

---

(1) Id. l. c. p. 2. 42.

(2) GALEN. de natur. facult. L. I. c. 14. p. 47. de crisib. L. III. c. 8. p. 735. de usu part. L. V. c. 5. p. 364.

(3) SPRENGEL *Geschichte* etc. II. Bd. p. 27.

(4) KÜHN Opuscula Tom. II. p. 80.

(5) CELS. praef. L. I.

(6) Adversar. L. XXXVIII. c. 3.

(7) de febre anomala batava p. 87.

SMITH, de medicina sectae methodicae veteris. Edinb. 1787. †

ASCLEPIADIS fragmenta ed. G. Gumpert. Weimar 1794. 8.

C. F. BURDACH, *Asclepiades und Brown, eine Parallele. Leipzig* 1800. 8.

Eiusd. Scriptorum de Asclepiade index. Lipsiae 1800. 4.

§. 21. Etsi schola methodica vigebat, tamen Dogmaticorum non extincta fuit, sed aliam formam accepit, pneumaticam nempe. Secta pneumatica a VESPASIANO usque ad ANTONINUM pium floruit. Dogmatici medici pro Syncresi atomorum pneuma introduxere. Semina vero theoriae huius apud PLATONEM, STOICOS et ERASISTRATUM occurrunt, unde non potest nova doctrina considerari (¹). Spiritus uti principium vitae et omnis valetudinis rector consideratus est ab ATHENAEO, fundatore scholae istius. Spiritus autem iste nunc spissus, nunc tenuis, humidus, siccus, calidus, frigidus turbidusque evadit, quo offenso morbus procreatur, penitus vero compresso homo repente moritur. Introduxerunt in pathologia verbum putredinis, quo omnis adparens corruptio humorum adsignata est. In omni morbo febrili invenerunt talem humorum corruptionem praepululantem (²).

§. 22. Eodem tempore, quo schola Pneumaticorum vigebat, alii Dogmaticorum, Empiricorum et Methodicorum systemata simul scrutabantur et neminem in omnibus sequi voluerunt, sed eligebant omnia bona ex dictis systematibus, unde nata est secta Eclecticorum, quos Episyntheticos etiam vocavere. Fundata est haec secta ab AGATHIA Spartano; Eclectici medici secuti sunt in hoc Syncretismo inprimis philosophos academicos, quorum opiniones cum aliis aliarum sectarum coniunxere (³). Claruerunt in hac schola

(¹) SPRENGEL *Geschichte* etc. II. Bd. p. 95.
(²) GALEN. de diff. febr. L. I. c. 7. p. 295.
(³) SPRENGEL *Geschichte* etc. II. Bd. p. 102.

Archigenes et Aretaeus Cappadox. Archigenes praeprimis emeruit circa theoriam pulsus, atque morborum stadia in acmen et solutionem divisit ([1]). Aretaeus autem longe celebris, egregius morborum pictor, de cuius aetate magna inter eruditos controversia est, clare distinxit solida, fluida et spiritus, uti corporis partes integrantes, quae si bene mixtae sint, sanitatem constituant ([2]). Spiritu ad morborum aetiologiam explicandam usus est ([3]), sicuti etiam theoriam elementorum qualitatis non neglexit ([4]). Symptomatologiam tam bene navavit, ut nemo veterum in scriptis melius exposuit, quare a tironibus totus in succum et sanguinem vertatur, uti Blumenbachius docet ([5]).

conf. C. G. Kühn, de dubia Aretaei aetate. Lipsiae 1779. rec. in eius Opuscul. Tom. I. pag. 15-46.

§. 23. Talis vero fuit totus Pathologiae status usque ad annum 131. post Christum, quo Galenus natus est. Hoc tempore sectae omnes, Dogmaticorum nempe, Empiricorum, Methodicorum, Pneumaticorum, Episynthelicorum exstiterunt ([6]), et inter se dimicaverunt, nihilque in medicina utilis aut certi fuit a rixis et contentionibus medicorum istorum, sed potius inanes distinctiones et divisiones, hypothesium moles indigesta et rigor quidam, quo utilia ad unum colligi non possunt ([7]). Ast Galenus systemata omnia perlustrans acumine magno sequentem sibi propriam confirmavit ideam de Pathologia.

([1]) Galen. de temporib. morbor. c. 2. p. 409.
([2]) Aret. de caus. acut. morb. L. II. c. 3. p. 16. ed. Boerh.
([3]) Aret. acut. L. I. 7. p. 5. L. II. c. 16. p. 18. Caus. diut. L. I. c. 14. p. 43. L. II. c. 1. p. 48. Curat. acut. L. I. c. 1. p. 72., c. 10. p. 89.
([4]) Acut. L. I. c. 7. p. 5.
([5]) l. c. p. 58.
([6]) Clerc *Histoir. de la medec.* P. III. L. III. chap. 2. p. 670.
([7]) Ackermann inst. hist. medic. c. xx. §. 275.

Elementum GALENUS distinxit a primitivis corporum primordiis, quae sensibus externis non iudicantur ([1]); cuique elemento tribuit propriam qualitatem, uti igni calidam, aëri frigidam, aquae humidam et terrae siccam. Ab elementis dependent qualitates primae, quae, cum nunquam in corpore purae existant, per mixtionem compositae, secundas qualitates pariunt. Elementorum varius concursus producit quatuor humores cardinales, sanguinem, bilem atram ac flavam et pituitam. Sanitas consistit in certa elementorum commixtione, unde sanitas est corporis constitutio, et legitima partium solidarum ad fluidas proportio ([2]). Vires autem vitales primarie ad vitam contribuunt ([3]). His praemissis definit morbum esse statum corporis functionem laedentem ([4]). Distinxit passionem a morbo, quae est mutatio et alteratio praeternaturalis in corpore, ex qua deinde symptomata profluunt. Morborum genera summa duo sunt, alterum partium similarium, alterum organorum. Morbi similares oriuntur e mala proportione elementorum, et inde octo eorum diversi gradus dyscrasiae procedunt; dyscrasia vero est aut cum materia, aut sine materia. Morbi organici oriuntur e numero, figura, mole et situ vitioso. Solutio continui est communis tam similaribus quam organicis partibus ([5]). Causa morbi est id, quod statum praeternaturalem inducit ([6]); causae morbificae sunt vel externae, vel internae, remotae vel propinquae, praedisponentes vel occasionales. Causas procatarcticas in copia peccante et corruptione humorum quaesivit

---

([1]) GALEN. de element. L. I. c. 1. p. 413. de dogmatib. HIPP. et PLAT. L. VIII. c. 2. p. 661.

([2]) de diff. morb. c. 2. Comm. III. in L. II. Epid. Tom. 2. p. 386.

([3]) Meth. med. L. IX. c. 13. p. 643.

([4]) de diff. symptom. c. 1. p. 43, 47.

([5]) De diff. morbor. c. 4, 6, 11. p. 843, 855, 870.

([6]) Meth. medend. L. II. c. 1. p. 79.

GALENUS. Plethora sanguinis vel absoluta est, vel relativa ad vires; corruptionem humorum putredinem adpellat. Symptomata sunt effectus praeternaturales et a morbo dependent, aut cum proxime et necessario insequuntur, consistuntque in functionum perturbatione, vitiatis qualitatibus sensibilibus ac tandem vitiis secretorum (1).

En totum systema pathologicum summi GALENI, quod perfectissimum est omnium systematum, quae ex antiquitate cana recepimus, quia non tantum chemicas, sed etiam mechanicas rationes corporis complectitur, neque rationes vitales, quas tamen summatim tradit, negligit. Hanc ob rem absurdum est, si a quibusdam GALENUS uti solus Pathologiae humoralis sectator consideratur, quod idem esset, si ARISTOTELES empiricus adpellaretur, uti recte monet DAMEROW (2). Etenim admirationem gratam deposcunt conamina GALENI in Pathologiam, si consideraveris aetatem qua vixit GALENUS, in qua natura corporis animalis per physiologiam perparum, per scientias vero auxiliares reliquas, physicam, chemiam etc. tunc temporis plane nondum aperta fuit, sed solo ingenii acumine a GALENO penetrari debuit, sicuti immortalis HARTMANNUS docte docet (3). Meritoque BLUMENBACHIUS dixit GALENUM esse virum summum et unicum, et cui sive vasti ingenii acumen, sive immensum doctrinae ambitum spectes vix alterum universae antiquitatis aequiparare liceat (4).

§. 24. Defuncto GALENO Pathologia una cum tota medicina incepit senescere. Successores GALENI parum curabant medicinam totam perficiendam, sed potius omnes Eclecticorum modo, fideliter maiorum libros transscribebant ra-

---

(1) De diff. symptom. c. 1, 2. p. 49, 50, 53.

(2) *Die Etemente der nächsten Zukunft der Medicin etc.* p. 75. (*Berlin* 1829. 8.).

(3) Theoria morbi ed. alt. p. 22. (Vindobon. 1828. 8.).

(4) Introductio in historiam etc. p. 60.

tioneque propria parum usi sunt; coryphaei eorum Dogmatismum cum Methodo studebant in unum coniungere, unde ortum est systema dogmatico-methodicum. Pathologiae particulam, quae ad quatuor elementorum qualitates et humores cardinales spectat, medici isti pertractaverunt [1]. Eminent autem in hoc systemate dogmatico-methodico ORIBASIUS, AETIUS, ALEXANDER TRALLIANUS, P. AEGINETA, qui et in nosologia et in aetiologia et in symptomatologia magna cum assiduitate desudavere, nova tamen pauca addidere. Non memoro PALLADIUM, qui febrium theoriae incubuit, praetermitto etiam MICHAELEM PSELLUM, SYNESIUM ac ACTUARIUM, qui in compendium redegit systema GALENI, et excelluit in urinarum expositione, quas magno cum studio pertractavit, atque doctrinam psychologicam mirifice exposuit, quae sistit ultimum monumentum dignum scientiarum Graecanicarum, quae propter increscentem debilitatem Imperii Byzantini deciderunt [2].

§. 25. En totum statum Pathologiae Graecanicae, quem ab antiquissimis temporibus ad interitum usque Imperii Constantinopolitani exposuimus. Quanquam multis in locis pathologia Graecanica manca sit, tamen magni momenti est, cum haec basim pathologiae rationalis hodiernae sistat, de quo compendia pathologica GAUBII, HARTMANNI et aliorum Pathologorum, qui non obnubilati fuere deliramentis luxuriantis phantasiae, palam loquuntur. Etenim qui ambagiosa coniectura nitentes caeterum rem medicam totam nihil faciant atque omnia se scire iactitent, animosque iuvenum cum nefanda hac iactantia pervertant celebrantes atque nimis gloriantes de eximiis recentiorum inventis in rebus anatomicis, physiologicis atque chemicis, eos veteres ignorare, eorumque monimenta diligenter non pervolvisse

(1) ACKERMANN hist. medic. p. 226.

(2) HECKER *Geschichte der Heilkunde*, 2. Bd. p. 357.

apparet. Equidem candide fateor quotiescumque pervolvo thesauros antiquitatis venerationem meam erga medicos veteres patriae meae augeri, atque me nunquam probaturum sententiam eorum, qui HIPPOCRATEM reliquosque medicos Graecos, quos et praeterita saecula laudarunt et futura laudabunt, sordido pulvere contaminent. Sed ohe! iam satis. Tempus iam nos monet, ut ad litteraturam accedamus.

LITTERATURA.

§. 26. Historia Pathologiae exposita iuvabit etiam et scripta pathologica Graecorum tam deperdita quam existentia enumerare. Scripta vero, quae ab antiquitate accepimus, pauca sunt, atque dolemus de iniuria temporum, quae tot tantasque soboles psychicas destructioni tradidit, atque GALENO gratificamur, qui non tantum nomina scriptorum, sed etiam opiniones multas titulosque librorum eloquentia sua nobis servavit. Historia medica eo vitio laborat, quod GALENI virtutis nullum aemulum nobis sistit, ut maiorum suorum merita scriptis mandaret, egregie PANAIOTA NICOLAIDE, medico Graeco, monente (1). Qui vero libri philologici scripta pathologica Graecorum laudant, sunt opera eruditissima FABRICII (2), HALLERI (3), BLUMENBACHII (4), SCHOELLII (5), CHOULANTI (6) et aliorum, e quibus hausi editiones singulorum auctorum.

---

(1) Antylli veteris chirurgi τὰ λείψανα p. 5. (Halis 1799. 4.).

(2) Bibliotheca Graeca, cura HARLES, 12. Tom. Hamb. 1790, 1812.

(3) H. BOERHAAVE Methodus studii medici ed. Haller 2. Tom. Amstelodami 1751. 4.

(4) Introductio in historiam medicinae litterariam etc.

(5) *Histoire de la litterature Grecque profane.* 8. Tom. *Paris* 1823-25. 8.

(6) *Bücherkunde für die ältere Medicin, Leipzig* 1828. 8.

§. 27. Scholae Cnidiae antiquissimus liber est Κνίδιαι γνῶμαι, qui ab Hippocrate (de ration. vict. in acut. p. 283.) et Galeno laudatur. Auctor sententiarum istarum est Euryphon (Galen. de alim. facul. L. I. c. 1.). Editio altera circa tempus Hippocratis facta est, quae correctior fuit (Hipp. l. c. Galen. Comm. ad h. l.). Periit tamen liber iste.

Coae Scholae liber adhuc extat inscriptus Κωακαὶ προγνώσεις, quae inter Hippocratis scripta nunc existunt, abscriptae ex tabulis votivis cum additamentis illius, qui eas exscripsit (*Clerc histor. de la medec.* I. P. L. 1. ch. 2. *Sprengel Apologie des Hippocr.* I. Bd. S. 33. *Grimm's Hippocratische Werke* 2. Th. S. 568.). Editio graeco-latina Parisiis 1557. cura I. Opsopoei Francof. 1587. cum notis Io. Ionstoni Amstel. 1660. 12. D. Iacotii, Lugdun. 1576. f. interprete et enarratore Dureto, Parisiis 1588. f. 1616. f. 1621. f. 1658. f.

Hippocrates. Aphorismi. Prodierunt graece a Rubelaesio, Lugd. 1532. 8. a Rescio, Lugd. 1543. 8. Glasgov. 1748. 15. Graeco-latine, Parisiis 1552. ab Opsopoeo Francf. 1587. 12. a Paul. Offredi, Romae 1602. 12. ab I. Heurnio, Lugd. Bat. 1602. 12. ex interpret. Foesii et G. Plantii, Lugd. Bat. 1633. 12. cura Verhoofd, Lugd. Bat. 1675. 16. Accurante I. ab Almeloveen, Amstelod. 1685. 12. cur. A. Lorry Parisiis 1759. 12. a. T. B. le Febure de Villebrune, Paris. 1779. 12. a Bosquillon 2. Tom. Paris. 1784. 12. a Mercy, Paris. 1811. 8. Berolini 1822. 12.

De aquis et locis. Graece. Paris. 1536. Graeco-latine a I. Cornaro, Basil. 1524. 4. Graeco-francogallice a beato Corae, 2. Tom. Paris. 1800. 8. alteram editionem doctissimus vir iste pro iuventute Graecanica anno 1816 curavit. a Nic. Chailly, Paris. 1817. 8.

Epidemicorum L. I. et III. edit. a I. Freindio Londini 1717. 4.

De diaeta L. III. editio singularis nunquam prodiit.

De humoribus. Editionem curav. N. Vigoreus, Lut. et 1555. 4. Lud. Duretus et Girardetus Paris. 1631. 8. iterum recensuit et ind. nov. adiunxit I. G. Gunz, Lipsiae 1745. 8.

De internis affectionibus. Editio singularis non extat.

De morbis L. IV. Graeco-latine e rec. G. Pylandri Paris. 1540. 4. a D. Morello, Paris. 1637. 4. Graecogallice a Mercy, Paris. 1823. 8.

De mulierum morbis L. II. Prior liber prodiit interprete M. Cordaeo, Paris 1585. f. et in Spachii Gynaeciis, Argentor. 1597. f.

De iudicationibus. Graeco-latine in edit. Opusculorum aphroristicorum a Zwingero comparata. Basil. 1798. 8.

De diebus iudicatoriis. Graeco-latine in editione mox laudata Zwingeri.

Plato. Phaedrus, Graece a Fr. Heindorfio, 1802. Astio Lipsiae 1810. 8. Timaeus Graeco-latine Paris. 1555. 8. Graece in Opusc. myth. Galaei Cantabr. 1671. 8. Commentarii Galeni in Timaeum (Gal. de libr. prop. c. 14. p. 46.) perierunt.

Aristoteles. De partibus animalium; de generatione animalium; ambo libri secundum opinionem Fr. Nic. Titze constituunt partem L. V. Historiae animalium (Schoell, litterat. 3. Tom. p. 291.). De auditis admirandis ed. Beckmann et Heyne. Gotting. 1787. Problemata.

Theophrastus. De sudore et vertigine cum interp. Bonauenturae Grangerii. Paris. 1576. 8.

Diocles. De passionibus cum causis et curationibus (C. Aurel. Tard. L. III. 8. V. 12. Acut. II. 7. 8. 20. III. 4. 8. 17.). Galenus laudat librum cum sequenti titulo, Πάθος αἰτία καὶ θεραπεία (de loc. aff. L. III.), quod optime

ill. Beckius (Repert. 1820. Bd. 2. p. 344.) correxit monens inscribi περὶ παθῶν, αἰτίας καὶ θεραπείας. Liber non extat amplius.

Praxagoras. De morbis (C. Aurel. chron. V. 2. p. 566.) non existit amplius.

Erasistratus. Περὶ διαιρέσεων. Fragmenta ex hoc libro quaedam extant apud Galenum (de ven. adv. Erasistr. cap. 1.) et A. Gellium (Noct. attic. L. XVI. c. 3.).

Asclepiadis. Contradictorius (C. aur. acut. L. II. 33.), de acutis passionibus (Id. acut. L. III. 21.) perierunt exceptis quibusdam fragmentis, quae Gumpertus edidit (§. 20.).

Sorani αἰτιολογούμενα a Caelio Aureliano laudata (Tardar. I. 3.) perierunt.

Ruphus Ephesius. De melancholia (Galen. de atra bile pag. 105. Tom. V.), fragmentum extat in editione quam Mathaei Mosquae 1806 edidit. De morbis vesicae ed. Goupylus, Paris. 1554. 8. Clinch, Londin. 1726. 4.

Moschion. De passionibus mulierum. Graece in C. Wolfii Gynaeceis 1566. Editionem correctiorem publici iuris fecit F. O. Dewetz. Vienn. 1793. 8.

Aretaeus. De causis et signis acutarum et chronicarum passionum, L. IV. Graece a Goupylo, Paris. 1554. 8. Graeco-latine a Henisichio, Aug. Vindel. 1603 f. a I. Wiggan. Oxon. 1723 f. a H. Boerhaave, Lug. Bat. 1731 f. tandem a venerando sene Kühn, Lipsiae 1828. 8.

Caelius Aurelianus. De morbis acutis, L. III. qui ab Guinterio Andernaco Paris. 1533. 8. editi sunt. De morbis chronicis L. V. a I. Sichardo, Basil. 1529 f. Utrumque opus Aurelian. prodiit in collectione H. Stephani, Lugd. 1567 f. a Delechampio, Lugd. 1579. 8. ab Amann, Amstelod. 1709. 4.

Cl. Galenus. De differentiis morborum; de causis morborum; de differentiis symptomatum,

graece prodierunt, Antwerp. 1550. 8.; de causis procatarcticis extat latine tantum in edit. Charterii, Tom. VII. pag. 347. in VII. Iunt. Class. III. f. 95.; de causis continentibus periit; de inaequali intemperie, graecolatine, Basil. 1528. 8.; de plenitudine, singularis editio graecanica non extat; de tumoribus praeter naturam, graece Parisiis 1557. 8. Vitemb. 1589. 8.; de locis affectis L. VI. Graece cura Th. Plateri, Basil. 1554. 8.; de differentiis febrium L. II. Graece Paris. 1557. 8.; de difficultate respirationis; de tremore, palpitatione, convulsione et rigore; de morborum temporibus; de totius morbi temporibus; de typis; adversus eos, qui de typis scripserunt: de crisibus L. III.; de diebus decretoriis L. III. Ultimi libri septem separatim graece non prodierunt, extant tamen in editione Basilea Charteriana ac Kühniana.

Oribasius. Συναγωγαί. Graece in collectione XXI. veterum et clarorum medicorum Graecorum opusculorum a Matthaeo ed. Mosquae, 1804. 4. Latine a Rasario Venetiis 1554. Paris 1554. 8. Opera omnia Oribasii latine Basileae in 3. Tom. 8. prodierunt.

Aetius. Tetrabiblos, seu libri medicinales in XVI. libros divisi. Graece tantum L. I-VIII. editus est, Venetiis 1504. f. Omnes autem libri prodiere Basil. 1523. Venetiis 1535, 1538, 1543, 1544. f. Lugd. 1549. 8. 1550. 8. Extant vero et at ineditis fragmenta quaedam, quae doctissimus A. Mustoxydes et Schinas iu Συλλογὴ Ἑλληνικῶν ἀνεκδότων. Venet. 1816. 8. et Hebenstreit Ἀνεκδότων L. IX. c. XXVIII, Lipsiae 1757. 4. (Propempt. inaug.) publici iuris fecerunt.

Alexander Trallianus. medici L. XII. Graece cum castigationibus I. Goupyli, Lut. et 1548. f. Basil. 1556. 8.

Paulus Aegineta. medici optimi libri VII. Graece ex aedibus Aldi 1538. f. Basileae 1538. f.

THEOPHILUS. De urinis. Graece Parisiis 1608. edente F. Morelli; Ren. Charterius editionem Morellianam emendavit atque in editione Operum Hippocratis et Galeni Paris. 1639. Tom. VIII. inseruit, Correctiorem editionem Thomas Guidotius anno 1705. Lug. Bat. 8. publici iuris facit: de excrementis libellus. Graece primo e membranis oxomiensibus imo cum urinis ad calcem editionis Guidoti.

ACTUARIUS. De urinis. Latine Venetiis 1519. 4. Paris. 1548. 8. Traj. ad. Rhen. 1670. 8.: *περὶ ἐνεργειῶν καὶ παθῶν τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος καὶ τῆς κατ' αὐτὸ διαίτης, λόγοι β'*, cum varietate et lectionibus nunc primum in Germania edid. I. Fr. Fischerus. Lipsiae 1774. 8. primam autem editionem Goupylus Paris. 1557. 8. comparavit.

LIBER I.
NOSOLOGIA GENERALIS.

SECTIO I.
Cap. I. DE MORBO IN GENERE.

§. 28. Statum praeternaturalem incipientes exponere consultum imo necesse duximus, primo de natura sanitatis agere. Sanitatem varie a variis philosophis et medicis definitam esse supra vidimus, tamen omnes utplurimum eo conveniunt, quod eam ut aequilibrium inter legitimam ac bonam commixtionem elementorum, spirituum, atomorum etc. considerant, uti Galenus docet (¹). Homo prospera sanitate gaudet, quando functiones naturales suum munus exacte et aquisite absolvunt, nihilque in iis consistit, quod propria facultate praevaleat, Hippocrate monente (²). Ideoque Galenus dicit sanitatem non in actione, sed in agendi facultate consistere, cum vel dormientes, vel in tenebris degentes, vel quiescentes, vel decumbentes nullam partem movemus, nulloque modo res externas percipimus, sed nihilominus sanitate prospera gaudemus. Hanc ob rem ad bonam legitimamque sanitatem integritas virium, animi et corporis exquisitissima resposcitur (³).

§. 29. Sanitas bifariam dividitur; aut est absoluta, aut mediocris. Sanitas absoluta est optima ac exacta, mediocris autem commoderationem non habet, sed non tantum ut

(¹) De sanitate tuenda L. I. c. 5. p. 15.
(²) De prisca medicina p. 16.
(³) Galenus de differ. morbor. c. 2. p. 837.

animali sit gravis; quare non unum in sanitate gradum esse satis elucet ([1]); comprobant veritatem hanc mutationes aetatis, quas percurrit homo post natum; nam temperamentum mutatur, functiones etiam, uti visus, auditus etc. quae secundum plus aut minus apud homines existunt, variant diversimode ac suffragium de hac veritate certum ac dignum suppeditant, uti Galenus docet ([2]). Absolutam sanitatem, quem *εὐεξίαν* veteres appellavere ([3]), non frequenter, imo nunquam existere posse, experientia satis docet ([4]). Semper enim in homine aliquid consistit, quod harmoniae istae molestiam quandam adfert, quod etsi non turbat sanitatis aequilibrium, ideam tamen absolutae sanitatis tollit ([5]). Multi vero medicorum veterum, qui Galeni tempore vixerunt, veritatem hanc non bene intelligentes, *ἀειπάθειαν*, hoc est perpetuum cum morbis conflictum in homine introduxere, semina morborum inesse nobis perhibentes, sed propter tenuitatem subterfugere illa, contra quod Galenus merito contradicit ([6]).

Adhibuere veterum quidam et inprimis Herophilus triplicem hominis statum, sanitatem nimirum, morbum, ac medium quoddam inter haec duo primaria momenta, quod statum neutrum (*οὐδετέραν κατάστασιν*) appellavere; neuter vero status observatur, dum aegroti in statu reconvalescentiae versantur ([7]), aut in iis, qui a cane rabioso morsi nondum aquae horrore affecti sunt, itidemque iis, qui cantharidibus haustis nondum cruciatum aut difficul-

---

([1]) Id. de sanitate tuenda Lib. I. c. 5. p. 13.

([2]) De sanitat. tuenda L. I. c. 5. p. 14.

([3]) *Τῆς μὲν οὖν ὑγιεινῆς ἕξεως ἡ τελειότης εὐεξία ἐστί.* Galenus de bono habitu p. 752. Tom. IV.

([4]) Galenus de sanit. tuend. L. I. c. 5. p. 28.

([5]) Id. l. c. L. VI. c. 5. p. 403.

([6]) Id. l. c. L. I. c. 5. p. 18-19. conf. Hebenstreit Palaeologia Therapiae p. 57. (Halae 1779. 8.).

([7]) Id. l. c. L. VI. c. 2. p. 388.

tates sentiunt [1]. His vero praemissis ad morbum accedamus.

§. 30. Morbum multiplici modo definitum a veteribus fuisse, ex historia iamiam notum est. Morbus vero dicendus est dummodo virium mentis ac corporis integritas sublata fuerit, uti supra diximus (§. 23.). Actionis enim laesio semper debet esse, ut morbus caput suum extollat, sicuti summus GALENUS docet [2], cui ALEXANDER APHRODISIENSIS suffragatur, qui adsertum adfirmaturus monet febrim ab ira eo differre, quod ira non offendit aliquo sensibilis nocumento, quod febris insequeretur [3]. Ex quibus luce clarius patet morbum ad internam corporis vitam relatum fuisse. Perperam autem Olympicus morbum, uti statum permanentem consideravit [4], methodicorumque secta non minorem errorem commisit, quum morbum pro opportunitate quadam corporis, aut corpus ipsum pro adfectu haberet, quod iure a severo GALENO carpitur [5]. Hippocraticus tandem aliquis auctor morbum adpellat omne id, quod molestiam homini adfert [6], quod ANTIPHANES iterum ruminavit [7].

§. 31. Discrimen autem inter morbum qualis sit et inter eum, qualis adpareat statutum est; hoc est inter morbum et passionem (πάθος). Passio secundum PLATONEM [8]

---

[1] DIOSCORIDES de iis, quae virus eiacul. praef. p. 45. Tom. II. ed. Spreng.

[2] Meth. med. L. II. c. 1. p. 80. Eodem modo definierunt morbum SENNERTUS, BOERHAAVIUS, FR. HOFMANNUS, GAUBIUS, SPRENGELIUS, BROWNIUS atque ROESLAUBIUS, vide RINGSEIS de doctrina Hippocratica etc. p. 37. KIESER *System der Medicin* I. Bd. p. 126.

[3] De febribus c. 5. p. 7.

[4] GALEN. Meth. med. L. I. c. 7. p. 54.

[5] Meth. med. Lib. I. c. 5.

[6] HIPPOCR. de flatib. p. 269.

[7] STOBAEUS Sermon. CCXXIX.

[8] Timaeo.

et Galenum (1) est complexus phaenomenorum, quibus morbus manifestatur.

Cap. II. DE SUBIECTO AC DIVISIONE MORBI.

§. 32. Status vitae praeternaturalis nullibi potest extare, quam in corpore vivo (2). Corpore autem aegrotante sedem morbi tam partes solidae, quam fluidae et spiritus, seu vis vitalis, suppeditant. Quod enim partes solidae (3), sicuti etiam fluidae (4) et vitales (5) vitae et morbi compotes sint, veteres diserte dixere. Etenim corpus humanum ex istis partibus conformatur, uti Hippocrates (6), Aretaeus (7), Galenus (8) ac Theophilus (9) monent, atque contiguitas in organismo humano regnat et exsuperat, qua systemata omnia organismi inter se consentientia sunt (10). Quare perperam statutum est ab Herophilo et Praxagora humores tantum, aut solidas partes corporis pati, uti Erasistratus et Asclepiades voluere, aut vim vitalem laborare secundum auctoritatem Athenaei et Archigenis, qui omnes sine ratione divinam Aesculapii medicinam divulserunt, uti egregie summus Pergamenus docet (11).

§. 33. Lustratis morborum divisionibus atque rite perpensis systematibus omnibus pathologicis unitatem aut sal-

(1) De diff. symptom. c. 1. p. 44. de loc. aff. L. I. c. 3. p. 32.

(2) Οὔτε ὑγείαν, οὔτε νόσον οἷόν τε γενέσθαι τοῖς ἐστερημένοις ζωῆς. Aristot. de sensu et sensib. c. 1. p. 511.

(3) Ὅταν γε καὶ αὐτὰ ταῦτα (τὰ στερεὰ) νοσεῖ. Galen. Comm. II. in I. Epidem. t. 46. p. 145. conf. de diff. febr. L. I. c. 2. p. 278.

(4) Hippocr. de natur. human. p. 225.

(5) Paul. Aegin. L. II. c. 31. p. 43.

(6) Epidem. L. VI. S. VIII. p. 199.

(7) De caus. et sign. acut. morbor. L. II. c. 3. p. 16.

(8) Meth. med. L. XI. c. 1. p. 737.

(9) De urinis c. 17. p. 124. ed. Guid.

(10) Hippocr. de loc. in homine p. 408.

(11) Galen. Introduct. c. 9. p. 698.

tem ordinem in morborum expositione nullibi existere videmus, nisi in divisione morborum, quae, praeeunte Hippocrate, a Galeno, Aretaeo, pneumaticisque medicis tradita est. Quare consultum nobis duximus triplicem amplecti morborum divisionem, qua morbi, qui a spiritu, turbata humorum harmonia ac organorum commutatione oriuntur, facilius exponi possunt. Est enim res ardua ac difficilis nominare morbos, uti bene Dio Chrysostomus ait [1], qui inveniri non possunt sine cognitione elementorum corporis, quibus illud constituitur [2], quae pati et mutari nata sunt [3].

SECTIO II.

Cap. I DE VITIIS SPIRITUS.

§. 34. Aethereum illud principium, quod primam actionem vitae sistit, qua organismus actiones suas peragit, spiritus seu *πνεῦμα* est [4]. Spiritum autem oeconomiam humanam conformare Hippocrates docuit (§. 10.), atque Aristoteles clarius vias, per quas spiritus corpus atque systema sanguineum attingit, descripsit [5]. Stoici autem ad explicandas accuratius organismi actiones spiritu usi sunt [6], quorum vestigia Dogmatici priores secuti sunt, uti in scriptis Pseudo-Hippocratis videre licet. Erasistratus vero clariorem de pneumate eiusque a pulmonibus ad cor et arterias transitu doctrinam proposuit, divisitque eum

---

(1) *Ζῆν δὲ ἀνθρώπυς νοσημάτων γέμοντας, ἃ μηδ' ὀνομάσαι ῥᾴδιον.* Orat. VI. p. 91. conf. Orat. XXX. p. 302. XXXIII. p. 409.

(2) *Χωρὶς γνῶναι τὰ στοιχεῖα τοῦ σώματος, ἐξ ὧν πρῶτον γέγονεν ἀμήχανον ἐξευρεῖν τὰ νοσήματα.* Galen. meth. med. L. II. c. 3. p. 86.

(3) Galen. de diff. morb. c. 2. p. 840.

(4) vide Gorraei definit. med. v. *πνεῦμα.*

(5) K. Sprengel *Geschichte der Arzneik.* I. Bd. p. 452.

(6) Sprengel l. c. p. 473.

in vitalem et animalem (1). ASCLEPIADES etiam, in suo mechanico systemate λεπτομερίαν introduxit, quam nihil aliud esse, quam ipsum spiritum C. AURELIANUS abunde docet (2). Culmen autem perfectionis doctrinae de spiritu assecuta est in sic dicta secta pneumatica, quae ideam vis vitalis clare et exacte exposuit, quod post ARISTOTELEM a nemine factum esse cel. HECKERUS dicit (3). Summus vero PERGAMENUS spiritum in animalem vitalem ac naturalem divisit (4). Posteriores etiam medici spiritum non neglexere. NEMESIUS sententiam ERASISTRATI de motu pneumatis (πνεῦμα ζωτικὸν) in arterias amplexus est (5). ACTUARIUS vero spiritus doctrinam bene pertractavit, atque credidit spiritum naturalem (πνεῦμα φυσικὸν) a nutrimentis in hepate oriri, et a hepate per venam cavam inferiorem ad cor progredi (ubi in spiritum vitalem conformetur, atque per arterias in totum corpus diffundatur) et in cerebro ad spiritum animalem evehi (6). Sic demum paucis historia pneumatis expressa ad mala, quae turbata vi vitali oriuntur, accedamus.

§. 35. Spiritus vitalis aut quantitate, aut qualitate peccat (7). Alteratur qualitas spiritus a corruptis humoribus, malitia ambientis aëris atque venenatis facultatibus (8). Ab alterata qualitate spiritus febris ephemera oritur (9). Quantitate vero peccans spiritus vel augetur vel imminuitur (10). Augetur spiritus ab alimentis acribus et cali-

(1) GALEN. de dogmatib. Hipp. et Plat. L. II. c. 8.
(2) Chronicar. L. III. c. 4. p. 455.
(3) *Geschichte der Medicin* I. Bd. p. 451.
(4) Meth. med. L. XII. c. 5. p. 838.
(5) De natur. human. c. 24. p. 240.
(6) vide HECKER *Geschichte der Medicin* 2. Bd. p. 356.
(7) GALEN. Meth. med. L. XII. c. 5. p. 838.
(8) Id. l. c. p. 840.
(9) Id. de diff. febr. L. I. c. 7. p. 296.
(10) Id. Meth. med. L. XI. c. 1. p. 738.

dis, potulentorum vinosorum usu (1), unde pulsus plenus fit (2) motusque inordinatus sanguinis oritur (3). Imminuitur autem spiritus a frigore intenso, unde ciborum coctio, chylificatio, nutritio et sanguificatio debilitantur (4); a calore aucto, qui solutionem vis vitalis efficit (5), haemorrhagiis (6), raritate corporis, gaudio nimio, tristitia, anxietate, doloribus, pervigiliis, nutrimenti defectu et ipso respiratu prohibito (7); imminuto spiritu humores non dissipantur, nec satis coquuntur, excitatur halitus, perspiratio insensibilis fit visibilis (8) ac animi defectus oritur (9). Si vero spiritus parte aliqua sistitur atque intercipitur, ea ad motum impotens redditur (10).

Cap. II. DE VITIIS HUMORUM.

§. 36. Latices, qui corpus humanum irrigant, quatuor sunt, sanguis nimirum, bilis flava et atra, atque pituita, qui turbati morbos producunt, uti Dictator summus artis medicae docet (11), atque Galenus consentit. Turbata humorum harmonia non tantum mera chemica, sed etiam dynamica est (12). Humores vario modo commutantur a cibis, anni temporibus, temperamentis et sic porro. Vitia autem humorum consistunt in quantitate, qualitate, et motu eorum mutatis, quae nunc exponemus a sanguine incipientes.

(1) Id. de caus. morbor. c. 2. p. 6.
(2) Id. de different. puls. L. IV.
(3) Hippocr. de flatib. p. 299.
(4) Galen. Comm. ad Aph. I. 14. p. 423.
(5) Id. de cur. rat. per venaes.
(6) Id. Comm. ad Aph. IV. 27. p. 692.
(7) Id. Meth. med. L. XII. c. 5. p. 840-841.
(8) Id. l. c. L. III. c. 3. p. 175. L. XIV. c, 7. p. 698.
(9) Id. ad Glauc. de meth. med. L. I. c. 15. p. 49.
(10) Hippocr. de morbo sac. p. 304.
(11) Hippocr. de natura human. p. 225. de morb. L. IV. p. 498. de genit. p. 232. Nemesius de natura human. c. 1. p. 17.
(12) Hippocr. de prisc. medicin.

DE VITIIS SANGUINIS.

§. 37. Sanguis humorum omnium inquilinorum corporis humani princeps est, atque ex eo prima generatio fit, nostraeque naturae familiarissimus est ([1]), atque ad prudentiam ([2]) intelligentiamque mirum in modum confert ([3]). Aequabilis vero ex omnibus quatuor elementis temperatura exquisitum sanguinem creat, quippe in quo nullum suo contrario magnopere praecellit, nec calidum frigido, nec frigidum calido ([4]), atque tunc naturalis status sanguinis existit, si color eius ruber sit, neque bile flava, neque atra bile, neque pituita abundet, neque latice aquoso attenuatus sit ([5]). Ast sanguis non manet semper in naturali statu, sed varias subit mutationes quoad copiam atque mixtionem.

DE COPIA SANGUINIS.

§. 38. Sanguinis copia variat bifariam, aut augetur praeter naturam aut imminuitur. Augmentum copiae sanguinis est duplex vel ad vires, vel ad capacitatem vasorum ([6]). Abundantiam sanguinis nutrimentorum ubertas utplurimum efficit ([7]). Abundante vero sanguine memoria obtunditur ([8]), convulsiones oriuntur ([9]), febres excandescunt ([10]), pulsus arteriarum commutatur ([11]).

([1]) Galen. de facultat. natur. L. II. c. 3. p. 83. Comm. I. de nat. hum. t. 29. p. 26, 78.

([2]) Hippocr. de flatibus.

([3]) Democrit. epist. ad Hippocrat.

([4]) Galen. Comm. I. de natur. human.

([5]) Id. de sanit. tuend. L. I. cap. 9.

([6]) Id. Comm. II. de nat. hum. t. 1. p. 112. de cur. ration. per venaes. c. 3. p. 257.

([7]) Id. de plenitudin.

([8]) Id. Comm. I. de nat. human. t. 39.

([9]) Id. de loc. affect. L. III. c. 8. p. 171.

([10]) Galen. de curat. per venaes. De diff. febr. L. I. c. 2. p. 279.

([11]) Id. Comm. I. de humorib. t. 1. p. 45.

Plethora sanguinis ad vires humores corrumpit, et rheuma ad partes debiliores mittit ([1]); haec vero species plethorae ab aestu, ira atque febri oritur ([2]). Plethora vero ad vasa distentionem eorum producit ([3]), quae non raro rumpuntur, atque mors oritur, obstructis corporis colatoriis ([4]). Obstipatis arteriis a sanguine cito sensum motumque corpus amittit, vi vitali suffocari incipiente, quare HIPPOCRATES dixit, qui derepente obmutuerit, arteriarum repletiones corpus laedunt ([5]).

Defectus sanguinis non raro observatur, unde decoloratio corporis oritur, quare HIPPOCRATES decolores (ἀχροόυς) et exsanguines (λειφαίμυς) simul ponit ([6]). Defectum sanguinis nutrimentorum penuria ([7]), febris depascens ([8]) etc. producit.

DE MIXTIONE SANGUINIS MALA.

§. 39. Praeter copiam sanguinis praeternaturalem memoratu dignissima sunt et ea vitia, quae indolem alienatam humoris nobilissimi spectant. Sanguis constituitur e sero (ἰχώρ), fibra (ἶνες) et cruore (ἰλύς) ([9]); hae autem particulae sanguinis vario modo aberrant a legitima ac naturali mixtione. Mala sanguinis mixtio est, dum haematosis nequit assimilare quantitatem materiae plasticae, unde mu-

---

([1]) Id. Comm. II. de natur. hum. t. 1. p. 112.

([2]) Id. Comm. I. de humor. t. 1. p. 10.

([3]) Id. de optima sect. c. 14. p. 145.

([4]) Id. de loc. affect. L. V. c. 5. p. 338. Comm. II. de nat. human. p. 112.

([5]) Id. de caus. morb. c. 3. p. 14. de bono habitu p. 753.

([6]) vide FOESII Oecon. Hipp. v. λείφαιμος. Perfectus sanguinis defectus describitur a Lieutaud. (*Précis de la médecine practique* p. 72) et ab aliis; memoratu dignissima historia perfecti sanguinis defectus occurit in Edinb. med. chirurg. transact. 1824. p. 174.

([7]) GALEN. Comm. de vict. acut.

([8]) Id. Meth. med. L. X.

([9]) Id. Comm. I. de humorib. t. 1. p. 15-16.

cus oritur, qui in sanguine natat ([1]). Muco abundante laxitas et mollities solidorum oritur ([2]), unde hydrops fit ([3]), atque fluor albus, quem ignis defectio, qui creat colorem rubrum, producit ([4]). Alterum sanguinis vitium in mixtione observatur, dum cruor spissus atque ater evadit ([5]). Spissitudo sanguinis quanquam ad fortitudinem et corporis robur confert ([6]), tamen ubi incaluerit a putredine aut febre inflammatoria bilem atram efficit ([7]). Producunt spissitudinem sanguinis siccum et calidum temperamentum, sicuti etiam eiusmodi anni tempora et regiones, atque constitutiones, vitae studia, victus ratio, morbi ex calida siccaque intemperie ([8]). Non raro sanguis contrarium dictis acquirit statum, atque aquosa quadam tenuitate laborat, qua totus sanguis tenui ac aquoso humore plenus est ([9]), quod ex abundantia phlegmatis oritur ([10]). Vigens in organismo morbosus iste sanguinis status hydropem aliasque cachexias producit ([11]). Sanguis non raro cum bile praeter naturam commiscetur (αἷμα πικρόχολον), uti Galenus docet ([12]). Hoc etiam Huxhamius in iuvene colica laborante, cuius sanguis emissus plenus sero viridissimo erat, observavit ([13]); comprobat etiam malam hanc sanguinis mixtionem exploratio chemica fluidi nigri per vomitum

---

([1]) Id. de atra bile c. 2. p. 107. Tom. V.
([2]) Id. de caus. symptom. L. III. c. 4. p. 225.
([3]) Paul. Aeginet. L. III. c. 48. p. 106.
([4]) Aretaeus de caus. et sign. diut. morb. L. II. c. 11. p. 64.
([5]) Galen. de atra bile c. 2. p. 107.
([6]) Aristotel. de partib. L. II. c. 4. p. 749.
([7]) Galen. de atra bile c. 4. p. 114.
([8]) Galen. meth. med. L. IV. c. 9. p. 973.
([9]) Id. de usu part. L. IV. c. 5. p. 272. de atra bile c. 2. p. 107.
([10]) Hippocr. de affect. p. 521. Galen. de simplic. med. facul. L. IV. c. 19.
([11]) Hippocr. l. c.
([12]) De bono habitu.
([13]) Opera Tom. III. p. 69.

eiecti, quod compositum erat e sanguine corrupto et bile, uti W. Meisnerus docet ([1]).

Sanguis tandem corruptione et acrimonia commutatur. Putrescere Galenus monet, cum calor alienus oeconomiae animali supervenerit ([2]). Putredo sanguinis oritur a collectione eius parte aliqua, in qua neque perflari neque a natura vinci potest ([3]), a suppressione exercitationum, qua non tantum humores omnes, sed etiam corporis solidae partes corripiuntur, uti Aetius monet ([4]). Sanguinem vero acrimoniam atque amaritudinem et salsuginem induere veteres docuere ([5]).

DE VITIIS BILIS.

§. 40. Bilis, cuius officina est hepar ([6]), facultate acri atque mordaci gaudet ([7]), atque humorum omnium inquilinorum fervidissimus est ([8]). Bilis vel abundat atque ventriculo coacervata, tormina, syncopem, sitim magnam, febrem, vomitum, maniam etc. producit ([9]); vel depravatur in qualitate, ut nunc vitellina, nunc poracea, nunc aeruginosa, nunc glastea evadit; oriuntur mutationes istae bilis corruptione alimentorum in ventriculo, hepatis ingente calore etc. quae corpus adficiunt male provocando varias gravesque molestias ([10]).

([1]) Schweigger's *N. Journal f. Chemie und Physik.* Bd. VIII. Heft. 2.

([2]) De diff. febr. L. II. c. 11. p. 374.

([3]) Id. l. c. p. 375.

([4]) Tetrab. II. S. I. c. 74.

([5]) Galenus de atra bile c. 2. p. 108. de simplic. med. facult. L. IV. c. 16.

([6]) Hippocr. de morb. L. IV. p. 502.

([7]) Galen. de usu part. L. V. c. 4. p. 356.

([8]) Aetius Tetrab. I. S. II. c. 104.

([9]) Hippocr. de morbo L. IV. p. 500. Galen. de natur. facul. L. II. c. 9. p. 129. Introduct. c. 13. p. 740.

([10]) Galen. de atra bile. Comm. II. in Progn. Aetius l. c.

DE VITIIS ATRAE BILIS.

§. 41. Bilem atram, quae secernitur e sanguine crasso et limoso, a splene attracto [1], atque frigidior et crassior quam sanguis est [2], alienationes multas subire observatum est; alienationem bilis atrae veteres ab ipsa atra bile (μελαίνη χολῇ) distinxere adpellantes μέλανα χυμόν [3]. Generant hunc humorem cibus et potus, qui e carnibus caprinis, bubulanis, hircinis, asininis, camelinis, capricinis, limacinis, brasica, leguminibus, pane furfuraceo, vinis crassibus ac nigris etc. parantur [4]. Praevalet humor iste in hominibus temperamenti calidioris et siccioris, aetatibus, quae vigori succedunt, calidioribus et siccioribus anni temporibus, regionibus et constitutionibus, vitae studiis, quae cura et vigiliis peraguntur [5]. Humor iste difficile concoquitur [6] atque vel copia superat sanguinis reliquas partes, vel secedens ab iisdem in quibusdam corporis locis colligitur, uti veteres pronuntiaverunt [7], producitque colorem corporis pravum, dysenteriam, quae, HIPPOCRATE monente, est lethalis [8], corporis putredinem, corrosiones partium, elephantiasim, carbunculos, carcinos, haemorrhoidas, varices in pedibus, morbum caducum, maniam, fe-

---

(1) Id. de usu partium L. IV. c. 9. p. 136.

(2) Id. de temperam. L. II. c. 3. p. 603.

(3) Id. de natur. facult. L. II. c. 9. p. 136.

(4) Id. de loc. affect. L. III. c. 10. p. 183, 184.

(5) Id. de atra bile cap. 6. pag. 126. de natur. facult. L. II. c. 9. pag. 131.

(6) Id. de constit. medic. c. 15. p. 280.

(7) vide SWIETEN Comm. in BOERH. Aph. Tom. III. p. 462.

(8) HIPPOCR. Aph. IV. 24. GALEN. de caus. sympt. L. III. c. 7. P. AEGIN. L. III. c. 42. p. 87. ORIBAS. Synops. L. IX. c. 14. conf. VOGEL. de cogn. et cur. morb. p. 263.

brem quartanam ([1]), morbum atrabilarem, quo aegroti bilem atram sursum ac deorsum deiiciunt ([2]).

conf. F. G. Reinhardt, Quaedam de morbo atrabilario veterum adiecta morbi historia. Diss. inaug. Berolini 1826. 8.

DE VITIIS PITUITAE.

§. 42. Pituita, humorum omnium frigidissima ([3]), multas adfert mutationes secundum qualitatem, motum et consistentiam, ut nunc apparet albuminea, nunc vitrea, gypsea, liquida, salsa et acida ([4]). Pituita albuminea praevalens in corpore statum pituitosum chronicum producit, quo totum corpus, aut partes eius aliquae intumescunt, colorque est albus ([5]), nec non praedisponit ad hydropem ([6]). Vitrea vero pituita, quam primus Praxagoras ita adpellavit, est admodum frigida, viscida et crassa, atque atroces dolores producit, Galeno monente ([7]); pituitam vitream, cuius existentiam quidam recentiorum medicorum in dubium vocabant, observationes Lindenii, Fr. Hoffmanni, H. Boerhaavii atque Heidleri in organismo humano praeter naturam generari extra dubitationis aleam ponunt atque veram observationem Praxagorae esse mirifice testantur ([8]); pituita salsa oritur a putredine, aut a salsae et serosae humiditatis admixtione ([9]). Exsuperantia vero pituita

---

([1]) Galen. de compos. medic. c. 5. p. 580. de atra bile c. 4, 5. p. 115, 132. de loc. aff. L. III. cap. 9. pag. 177, 178. de diff. febr. L. II. Hippocr. de morb. L. I. p. 447. Epidem. L. VI.

([2]) Hippocr. de morb. L. II.

([3]) Galen. de diff. febr. L. II. c. 6. p. 347.

([4]) Hippocr. de vet. med. XXI. Int. affect. XXIII. 2.

([5]) Id. de morb. L. II. c. 69. Int. affect. XXIII.

([6]) Id. Aph. VII. 74.

([7]) De loc. affect. L. II. c. 5.

([8]) Kühn Opuscul. acad. med. phil. Tom. II. p. 131.

([9]) Galen. de diff. febr. L. II. c. 6, 7.

animum in lucto coenoque defodit ([1]). Pituita vero in parte aliqua nobiliore sistens atque stagnas producit, cephalaeam, coecitatem, surditatem, morbum caducum, corporis intumescentiam et hydropem ([2]).

DE PRAVO HUMORUM MOTU.

§. 43. Duplex est humorum motus, aut immanens, hoc est circulatio sanguinis, quam antiquis notam esse Almeloveen ([3]), Van Leempoel ([4]), Heisterus ([5]), Hartmannus ([6]), Fr. Hoffmannus ([7]), cel. Heckerus ([8]) et alii viri docti gravissimis argumentis demonstravere; vel extra vasa procedens ([9]). Motus humorum augetur vel imminuitur. Imminuitur motus humorum partim a crassitie, propter quam circuire nequit ([10]), partim etiam propter impedimenta, quae solidis insunt minimis, in quibus humor offendit ([11]); imminutus sanguinis motus apoplexiam producit ([12]). Aucto vero humorum motu variae molestiae in organismo humano fiunt; ita sanguinis motu adaucto haemorrhagiae oriuntur, quae sanguinem per nasum et annum evacuant ([13]). Motus humorum extra vasa accidit, quando illi errore loci ad peregrina vasa pro-

([1]) Plato Timaeo.

([2]) Hipp. de morb. L. I. p. 447. L. II. p. 461. Galen. introd. c. 13. p. 739.

([3]) Inventa nova-antiqua etc. Amstelod. 1684. 12.

([4]) De anatomes origine et progressu p. 60.

([5]) An sanguinis circuitus Veteribus fuerit cognitus? Helmst. 1721.

([6]) Diss. II. de peritia veterum anatomica speciali c. X. p. 62.

([7]) Medic. ration. system. in Oper. Tom. II. p. 248 et 318.

([8]) *Die Lehre vom Kreislauf vor Harvey. Berlin* 1831. 8.

([9]) Hebenstreit Palaeologia Therapiae p. 459.

([10]) Hippocr. de vict. acut.

([11]) Galen. de caus. symptomat.

([12]) Hippocr. de glandul. Galenus de cur. ration. per venaes. c. 5. p. 265.

([13]) Hippocr. Aphor. III. 27. 30.

fluunt; ita rheuma, cuius fons est cerebrum, partim interne, partim externe adfluit ([1]), fluxus ille rheumaticus fluens nunc ad nares, nunc ad aures, nunc per palatum ad ventrem aut ad fauces in pulmones pervenit, ubi pulmones implentur ac supurantur, in intestinis volvulus oritur, atque in membrana narium morsus aliquis caput suum extollit ([2]); fluxus rheumaticus ad articulos corporis decumbens arthritidem producit ([3]), qui articulationem totam replet, atque ligamenta, tendines et nervos comprimit, unde dolor oritur ([4]). Bilis autem flava in corporis parte aliqua stagnans herpetem producit ([5]), sanguine in aliquo loco effuso atque putrescente pus oritur ([6]).

DE HUMORUM QUALITATE MUTATA.

§. 44. Humorum qualitas normalis in oeconomia animali magni momenti est; ut enim sanitas in humana physi regnet, oportet eos sollicite esse mixtos ([7]). Mutatur humorum qualitas a nutrimentis, quae, si bona sint optimos humores, si vero prava, pravos generant; aut motu quodam, quo calor augetur, aut ex putredine, aut ex commercio cum corpore calidiore, quae calidiora se ipsis fluida faciunt ([8]). Humorum in qualitate mutatio cacochymiam producit, quae est exsuperantia bilis utriusque, aut pituitae ([9]). A cacochymia oriuntur erysipelata, herpetes, can-

---

([1]) Hippocr. de glandul. p. 272.
([2]) Id. l. c. p. 272, 273.
([3]) Hippocr. de affect. p. 524.
([4]) Galen. Comm. ad Aph. VI. 49. P. Aegineta L. III. c. 78.
([5]) Paul. Aegineta L. IV. c. 20. p. 140.
([6]) Hippocr. de flatib. p. 299.
([7]) Χρὴ ἀκριβῶς εἶναι κεκραμμένους ποιότητι καὶ ἴσους ποσότητι τοὺς χυμοὺς, ἵν' ὑγεία τε διαμένῃ καὶ μὴ οὖσα ἐπαναλεύσεται. Galen. de humorib.
([8]) Galen. de caus. morb. c. 2. p. 3.
([9]) Id. meth. med. L. XIII. c. 6. p. 891.

cri, leprae, psorae, palores etc. ([1]). Humores vero corrupti aut salsam induunt qualitatem, aut amaram aut acidam et acerbam ([2]) etc. ut nunc saliva salsa ([3]), nunc sapor oris amarus ([4]) apparet; non raro etiam in venosam qualitatem convertuntur ([5]). Acrimonia tandem adficiuntur humores, quae exulcerat corporis partes atque eas corrodit ([6]), unde diapedesis et anabrosis oritur ([7]).

Cap. III. DE MORBIS ORGANICIS.

§. 45. Tertium nunc morborum genus adgredientes exponere, definitionem organi praemittere iuvabit. Organon est animalis pars, quae perfectam edere actionem possit, veluti oculus visionem, lingua loquelam et sic porro ([8]). Organa vero corporis quam varia sunt respectu cavitatis, compaginis, formae etc. ([9]), quae a rationibus mechanicis ac chemicis peccare solent. Vitia organica Methodici diviserunt in ea, quae e loco (hernia, luxationes, fracturae, vulnera recentia etc.), magnitudine (verrucae, cancri, abcessus etc.) et defectu oriuntur ([10]). Galenus autem divisit in ea, *a*) quae ex vitio formae, *b*) numeri, *c*) voluminis, *d*) nexu situque organorum abnormibus et *e*) cohaesione laesa originem suam petunt; ultimum vero genus morborum organicorum commune est partibus similiaribus

---

([1]) Id. de probis pravisque alim. succis c. 14. p. 814.

([2]) Hippocr. de vet. medic. p. 18.

([3]) Ἔνιοι φασὶν τοῦ σιάλου ὥσπερ ἅλμας αἰσθάνεσθαι. Galenus meth. med. L. V.

([4]) Hippocr. Epidem. L. I.

([5]) Galen. de probis prav. alim. suc. c. 1. p. 754.

([6]) Hippocr. de vet. medic. p. 16.

([7]) Galen. Meth. med. L. IV. c. 1. p. 233.

([8]) Galen. Meth. med. L. I. c 6. p. 47.

([9]) Hippocr. de veter. medicina

([10]) Galen. de optima sect. c. 30. Introduct. c. 4. Cael. Aurel. Chronic. L. II. c. 12. conf. Werlhofii Opera Tom. I. p. 14.

et organicis (§. 23.). Galeni vero divisionem morborum organicorum sequentes exponemus statim, quae veteres de vitiis istis observaverunt ac docuerunt.

A) DE VITIIS FORMAE.

§. 46. Morbi formae oriuntur sub ipso graviditatis momento, si nempe adsit aliqua uteri angustia ([1]), aut a luxuriante materia plastica, ut naturales seminis motus minime idonea qualitate prohibeantur ([2]). Externae etiam causae mechanicae formam vitiare possunt, uti rudis tractatio nutricium, quae parvulos linteamiuibus involvunt, lactant, lavant, sicuti etiam immaturum exercitium parvulorum ambulandi, cum vires adhuc non sufficiant ad corpus sustentandum crura ob gravedinem corporis nunc magis extrorsum, nunc minus introrsum distorquentur, unde valgi (*βλαισσοί*) et ravi (*ῥαιβοί*) neonati evadunt ([3]). Deformitatibus pedum Aegyptii, Aethiopes ([4]), Mauri ([5]) ac Servi Nigriti ([6]) erant insigniti. Non tantum pedibus deformitates accidunt, sed etiam capiti, obstetricibus caput pueri ad longitudinem ducentibus, quod vitium Macrocephalus audit; natura etiam consuevit tales deformes homines producere ([7]), ita macrocephali apud antiquos fuere Sigyncs et populus ille scythicus Macrocephali dictus ([8]); nostris vero diebus incolae devastatae a crudelibus ac nefandis Turcis insulae Chios. Alia quoque deformitas in

---

([1]) Hippocr. de genitur. p. 234.
([2]) Galen. de causis morbor. c. 7. p. 26.
([3]) Galen. de caus. morb. c. 7. p. 28.
([4]) Aristot. problem. S. XIV. p. 542.
([5]) Virgil. moretum v. 35. in Oper. Tom. IV. p. 215. ed. Heyne (Lips. 1789).
([6]) Petron. Satyric. 102.
([7]) Hipp. de aq. et loc. §. lxxx. p. 72. ed. Coray.
([8]) Strabo Geograph. Lib. XI. p. 358. Stephanus de urbibus, Harpocration et Suidas voc. Μακροκέφαλοι.

caput secundum longitudinem observatur, quae constat in suturarum cranii perturbatione et eminentia occipitis aut frontis deficiente, vel ultra modum producta ([1]). Hanc deformationem veteres φοξότητα adpellavere, et talis fuit Thersita, quem divinus poeta ridiculum fecit ([2]). Non raro et ossa nasi disformia evadunt, cum aliquid ex fulcientibus ossibus deciderit, quod vitium σιμότης audit ([3]). Frequenter etiam labia et aliae corporis partes luxuriante vita plastica admodum intumescunt, uti in elephantiasi observatur ([4]), quae formam naturalem commutant ac terribilem praebent adspectum.

Forma partium non solum externe sed etiam interne disformis evadit. Capacitas enim et forma cavitatum mutilatur per coalitum, obstipationem, compressionem, collapsum et anastomosin ([5]). Coalitus est unio et agglutinatio labrorum corporis discissi ([6]), quae a praegressa exulceratione oritur ([7]). Obstipatio oritur vel a luxuriante nisu plastico, vel a scirrho, vel apostemate in ipsis organis oborto. Obstipatio fit materiae spissiore, vel pinguiore, vel thrombo in meatu congestis. Compressio oritur ab externa vi pre-

---

([1]) Galen. de usu part. L. IX. cap. 17. pag. 752. de ossib. c. 1. p. 740. Comm. I. in L. VI. Epidem. t. 3. p. 817. Multae ac diversae deformitates capitis in longum et latum hodierno tempore apud Belgas, Franco-Gallos et praecipue Parisienses, Genuenses, incolas regni Aracam, Capevas, Caraibas etc. observantur, vide Blumenbach de generis humani varietate, Gotting. 1796. Coray ad Hipp. de aq. et loc. p. 224. I. B. Spix und C. F. P. Martius *Reise in Brasilien* 3. Bd. *München* 1831. 4.

([2]) Homer. Il. R. II. v. 215.

([3]) Galen. Comm. II. de offic. med. t. 2. p. 727. Comm. I. in VI. Epid. t. 4. p. 824.

([4]) Galen. de caus. morb. c. 7. p. 30. Aret. de caus. et sign. acut. morb. L. II. 13. p. 70.

([5]) Galen. l. c. p. 31.

([6]) Id. Comm. ad Aph. VI. 24.

([7]) Id. de caus. morb. p. 31.

mente parietes, qui ad interiora impelluntur et obliterationem cavitatis producunt. Collapsus fit, si parietes canalium in se ipsis concidunt ab humiditate nimia relaxati vel a refrigerantibus et adstrigentibus potentiis compressi ([1]). Anastomosis est ostii cavitatis laxatio et obstipatio ([2]), atque a facultate retentrici male habente, aut medicamentis vel aqua oscula aperiente, aut mollitia quadam ipsis organis accidente, aut humiditate et caliditate aëris ambientis originem suam petit ([3]).

Conformatio peccat etiam secundum asperitatem et levitatem superficiei. Superficiem asperam reddunt humores acres vi corrodente praediti, vapores acres, pulveres, fumus, oculorum tunicam et faucium membranam irritantes, nec non qualitas ciborum et potulentorum, venena, quae ventriculo et intestinis infestantur ([4]). Causae asperitatem producentes, si sint intensiores, corrosionem aut exulcerationem in partibus corrosis producunt, in ossibus vero cariem ([5]). Ab asperitate autem in membranis faucium tussis oritur ([6]).

B) DE VITIIS IN NUMERO.

§. 47. Vitia partium organicarum in numero bifariam dividuntur; etenim vel aliquid deest, vel abundat ([7]). Quae autem redundant, sunt vel ex genere naturalium, ex. gr. si quis habet digitum sextum, aut oculi pterygium, aut nasi excrescentiam aliquam; vel ex toto genere praeternaturalia, uti lumbrici, ascarides, calculi in vesica, chalaziou

---

([1]) Id. l. c.
([2]) Id. Meth. med. L. V. c. 2. p. 311.
([3]) Id. de caus. morb. c. 7. p. 32.
([4]) Galen. de diff. morb. c. 7. p. 861. de caus. morb. c. 7. p. 33.
([5]) Id. de caus. morb. p. 33.
([6]) Id. de diff. morborum p. 861.
([7]) Id. ibid. c. 8. p. 862.

in oculo, suffusio, pus, verucae etc. Quae tamen deficiunt vel e dimidio abscissa, vel decurtata sunt; defectus iste partium in momento generationis, conformationis, atque post natum accidere solet, cum ossa saepe eximentur e digitis, artubus, capite et lateribus (1). Defectus cuiusdam partis naturalis utplurimum a sectione, putrefactione ac vehemente perfrigeratione nascitur (2).

C) DE VITIIS VOLUMINIS.

§. 48. Vi vitali alacrius procedente, vita vero plastica copiosam materiam conformante incrementum partibus corporis humani suppeditatur, qnod excessu aut defectu peccare potest, contrariis rationibus accidentibus (3). Volumine partium corporis aucto morbi oriuntur (4), cnm organa adiacentia premantur ac excorientur (5). Alienatur volumen organorum corporis tam a spiritu, quam ab humoribus, unde variae morborum species oriuntur (6).

§. 49. Augmentum organorum praeter naturam a spiritu ortum emphysema producit, cum spiritus sub cute, aut periosteo, aut membranis musculos involventibus, aut inter intestina et peritonaeum contineatur; producunt emphysema densitas corporum, crassitudo spiritus, cum iste perflare nequeat (7). Emphysema in corpore cavernoso pu-

(1) Id. ibid. p. 863.

(2) Id. de caus. morb. c. 8. p. 34.

(3) Καὶ μὲν δὴ καὶ τὸ μέγεθος τῶν μορίων αὐξάνεται ὑπότε πλήθυς ὅλης χρηστῆς καὶ δυνάμεως ἐῤῥωμένης, μειοῦται δε ὑπὸ τῶν ἐναντίων. Galen. de caus. morb. c. 9. p. 35. conf. de diff. morb. c. 9. p. 869. de simplic. med. L. V. c. 9. p. 730.

(4) Galen. de diff. morb. c. 9. p. 868. de tumorib. c. 1. p. 706.

(5) Id. Meth. med. L. XIV. c. 12. p. 984.

(6) Id. de tumorib. c. 2. p. 707.

(7) Id. Meth. med. L. XIV. c. 7. p. 963. Paul. Aegin. L. IV. c. 28. p. 144.

dendi priamismus audit ([1]); in utero autem spiritus collectus eum extendit atque borborygmos et strepitus producit ([2]).

§. 50. Humorum influxus in organa corporis tumores producit, qui variant non tantum respectu coloris, verum etiam quoad calorem, frigus, duritiem ac mollitiem; ita tumor ruber evidenter indicat sanguinem subesse, sicuti tumor pallidus et flavus persimilem ipsis bilem, subalbidus vero et laxus pituitam ([3]). A sanguinis ad partem aliquam adfluxu inflammatio oritur, a qua carnosae partes in maiorem molem cum tensione, renixu, dolore pulsatorio, calore et rubore in lucem adparent ([4]). Sanguine vero fervente carbunculus ac gangraena oritur ([5]). Carbunculorum crusta nigra prorsus ac cinerea adparet, atque tumor non adeo livens, sed etiam splendidi aliquid habet ([6]). Carbunculi aestate quam plurimi sunt ([7]). Gangraena, quae est partis affectae mortificatio ([8]), ossibus non advenit ([9]). Oritur vel nimio caloris tum frigoris excessu, vel in quadam partium intemperie, spirituumque animalium retentione et interceptione ([10]), vel ab ictu animalium venenato ([11]).

([1]) Id. ubi sup. p. 968. P. Aegin. L. III. c. 56, 57. Nonnus de curat. part. morb. c. 194.

([2]) Aet. Tetr. II. S. IV. c. 74. P. Aegin. L. III. c. 50. p. 119. Empneumatoseos uteri uuum tantum vidit exemplum Odier (*Manuel de la méd. prat.* p. 210. *Genèv.* 1803.)

([3]) Galen. meth. med. L. XIV. c. 9. p. 972.

([4]) Id. de tumor. c. 2. p. 707.

([5]) Id. l. c. c. 6. p. 719.

([6]) Galen. l. c.

([7]) Hipp. Epidem. L. III. p. 1085.

([8]) Galen. de tumor. c. 8. p. 720.

([9]) Ἡ δὲ γάγγραινα νέκρωσις καὶ αὕτη τῶν ϛερεῶν σωμάτων ἀλλ᾽ οὔτ᾽ ὀϛοῖς ἐπιγίγνεται καὶ ταῖς μεγίϛαις ἕπεται φλεγμοναῖς. Gal. de tumor. c. 11. p. 726.

([10]) Galen. de m. m. ad Glauc. L. II. c. 9. p. 116. de simplic. med. facult. L. IV. cap. 1. pag. 697. L. V. 14. Meth. med. L. VIII. cap. 1. p. 532.

([11]) Id. de loc. affect. L. III. c. 5.

Bilis autem atra sine ebullitioue cancros facit, qui et nigriores colore inflammatis semper apparent minimeque calidi ([1]). Carcini in omnibus partibus oriri consuescunt, tum maxime in mulierum mammis, quae non amplius naturali purgatione repurgautur ([2]). Cancri occulti et latentes dantur, qui non sunt exulcerati et in profundo corporis latent ([3]). Cancri occulti a tractatione exasperantur ([4]), atque ab ictu saeviores evadunt mortiferumque superimponunt finem, uti Iuliae Imperatrici accidit ([5]). A bile autem flava oriuntur erysipelas atque herpes ([6]). Pituita vero producit scirrhum, qui est tumor durus sine dolore, non tamen prorsus sine sensatione ([7]). Si autem glandulae in scirrhos mutatae fueriut, scrophulas producunt, quae a pituitoso humore in colli glandulas irruente et inflammato oriri solent ([8]). Si vero glandulae testiculorum induratae fuerint, sarcocele oritur ([9]).

§. 51. Tumores tunica quadam membranacea involvi solent, qui respectu materiae, quam continent, varii sunt, et varia cognomina iis imponuntur; ita enim si a farinacea, vel lardi, aut mellis similitudinem habente materie repleti fuerint, atheromata, steatomata, melicerides audiunt ([10]); at alia species talis tumoris existit, quae apo-

---

([1]) Id. de tumor. c. 7. p. 720.
([2]) Id. de med. m. ad Glauc. L. II.
([3]) Hipp. Aph. VI. 38. Galen. Comm. ad h. l.
([4]) Hipp. l. c. Aret. de morb. diut. L. II. c. xi. p. 64.
([5]) Dio Cass. Hist. L. LXXVIII. p. 1332. Tom. II. conf. Trilleri Opusc. Tom. I. p. 62.
([6]) Galen. de tum. c. 9. p. 722.
([7]) Id. l. c. p. 724. Meth. med. L. XIV. c. 6. p. 962.
([8]) Hipp. de glandul. p. 271. Galen. Meth. med. L. XIV. c. 11. pag. 982.
([9]) Galen. de tumor. c. 15. p. 729.
([10]) Galenus de ration. medic. L. XIV. c. 12. p. 985. de tumor. cap. 5. pag. 718.

stema (ἀπόςημα) adpellatur, cuius duplex est genus; unum, cum inflammatione in pus versa, pus ipsum tanquam in sinu aliquo sit collectum, alterum cum nulla praecedente inflammatione humor aliquis statim ab initio, isque alias specie alius, caeterum omnino acris in parte aliqua colligitur ([1]). Quae vero suppurantur atque in viscere aliquo existunt, vomicae adpellantur, quas quidam medicorum ἐμπύηματα nuncupavere, quae iterum secundum alios sunt collectiones puris in media inter thoracem et pulmonem regione ([2]). Vomicae ab HIPPOCRATE ἀποστήματα, et φύματα, ἐν χιτῶνι συλλεγόμενα, item ἐν κοιλίῃ κατάκλειςα vel κατακεκλεισμένα ([3]), sicuti etiam πῦον ἐγκοίλιον ([4]) etc. a GALENO autem, PAULO AEGINETA, ALEXANDRO TRALLIANO συλλογαὶ πύου ἐν χιτῶνι, θυλάκῳ, ἐλύτρῳ, ὑμένι, σάκκῳ, κύστει, σκεπάσματι etc. nominantur ([5]), uti FOESIUS ac summus TRILLERUS ([6]) docuere. Generantur vomicae in pulmone, stomacho, ventre, iecore, liene, intestinis, renibus, vesica, aut mictuali via, vel matrice, aut peritonaeo, uti COELIUS AURELIANUS, methodicus accuratissimus, monet ([7]). Continent vomicae varia corpora solida, uti ungues, pilos, ossa, testas, lapidum et pori fragmentorum similia; humores varios, quorum alius veluti lutum, vel caenum, vel olei quidam limus, vel urinam, vel grumum, vel vini faex, alius adeo graviter olens ut omnes aversentur

---

([1]) Id. l. c. p. 984. de tumorib. c. 3. p. 715.

([2]) Id. de tumor. c. 3. p. 716.

([3]) HIPPOCRATES Coac. praen. de internis affectionib. de morbis L. I.

([4]) HIPP. de medico. P. AEGIN. L. III. cap. 32. A. TRALLIANUS L. VII. c. 2.

([5]) GALEN. de loc. aff. L. IV. c. 9. PAUL. AEGIN. L. III. c. 32. A. TRALLIAN. L. VII. c. 2.

([6]) De ingenii differentia vomicarum etc. in Opuscuc Tom. III. pag. 282.

([7]) De morb. chronic. L. V. c. 10. p. 581.

et animalcula prope omnibus, quae ex putredine generationem habent, simillima [1].

§. 52. Similitudo autem est inter tumorem cysticum et excrescentiam (βλάςημα). Tales vero excrescentiae sunt polypi, epulides, parulides, encanthis, pterygium, staphyloma, verruca, clavus, thymus, exostosis etc. [2].

Polypus est tumor praeter naturam, qui in cavo quodam, uti narium etc. enascitur ab inflammatione, vel tuberculo, vel excrescentia quadam, atque phlegmonodes et humidus ob loci naturam est [3]. Tumor iste in naribus enatus eas obstruit, ac difficultatem respirationis et sermonis producit [4]; increscit autem, ut post uvam conspici potest, et strangulat hominem [5]. Encanthis autem est tumor praeter naturam, qui in magnis oculorum angulis oritur; pterygium est membrana oculis extrinsecus aduata, quae a periosteo ambiente delata, ad iridis coronam pervenit [6]; staphyloma est tumor corneae tunicae ex uvea [7]. Verrucae sunt excrescentiae, quae exortum orbicularem habent et basim angustam [8]. Excrescentia, quae digito pedis insidet, clavus appellatur, qui dolorem ac molestiam in ambulando causat [9]. Thymus est carnosa excrescentia, quae nunc in glande, nunc in praeputio insidet [10]. Con-

---

(1) Galen. Meth. medic. L. XIV. c. 12. p. 984. de tumor. c. 4. pag. 718.

(2) Id. de tum. c. 17. p. 731. Meth. med. L. XIV. c. 13. p. 987.

(3) Id. l. c. p. 732. de composit. med. s. loc. L. III. c. 3. p. 678.

(4) Hipp. de morb. L. I. p. 471. Galen. de caus. symptom. L. I. c. 4. p. 106. Paul. Aegin. L. VI. c. 25. p. 183.

(5) Celsus de medicin. L. VI. c. 8.

(6) Galen. de tumor. c. 17. p. 732.

(7) Στάφυλωμα κύρτωσίς ἐςι τῦ κερατοειδῦς χιτῶνος σὺν τῷ ῥαγοειδεῖ. Paul. Aegin. L. VI.

(8) Galen. defin. medic. Paul. Aegin. L. IV. c. 15. pag. 137.

(9) Paul. Aegin. L. III. c. 60. p. 129. L. VI. c. 87. p. 208.

(10) Paul. Aegin. L. VI. c. 58.

dylomata snnt excrescentiae, quae in ani orificio, uteri osculo consident, ac ab inflammatione utplurimum nascuntur ([1]). Exostoses sunt eminentiae in ossibus et praecipue iis, quae iuxta tempora sunt ([2]); excrescentias illas iuxta tempora cornua nonnulli veterum appellavere atque sic affectos homines Διονυσιακοὺς nominare consueverunt, uti HELIODORUS docet ([3]).

D) DE NEXU SITUQUE PARTIUM ABNORMI.

§. 53. Partes corporis humani quamvis inter se coniunctae sint arctissimo amore et conspirent ad conservationem actionum omnium, quae vitae necessariae sunt, tamen respectu compositionis secundum nexum et situm a causis diversis mechanicis et internis non recusant vitia subire ([4]). Nexus deficit quoad coalitum, si, quae debent separata esse, praeter normam uniuntur, et quoad coniunctionem, si ista laxior, strictior aut abrumpta est ([5]). Coalitus praeter naturam observatur in diversis partibus corporis, ita sunt ἄτρητοι ad anum, genitalia, urethram; digiti, labia, palpebrae exulcerata cum vicinis coalescunt ([6]). Coalitus vero diversarum partium corporis diversis cognominibus insignitur; ita vitium, quod in articulis accidit, ἀγκύλωσιν vel ἀγκύλην adpellant, quo articuli obrigescunt, ut eorum motus impediatur ab humore alieno in cavo articuli effuso, et ligamentorum quadam contractione ([7]). Eiusdem

---

([1]) vide FOES. Oeconom. Hipp. v. Κόνδυλος.

([2]) GALEN. de tumorib. c. 14. p. 728.

([3]) NICET. Collect. chirurg. veter. p. 125. in Graecorum chirurgici libri ed. Aut. Cocchio, Florent. 1754. f.

([4]) GALEN. de diff. morbor. c. 10. p. 870.

([5]) Ἡ δὲ πρὸς τὰ παρακείμενα μόρια κοινωνία διαφθείρεται συμφύντων τινῶν ἀλλήλοις οὐ δεόντως, ἢ τινος ἀρτήματος ἢ δεσμοῦ χαλασθέντος ἢ ἀποῤῥαγέντος. GAL. de caus. morb. c. 10. p. 37.

([6]) GALEN. de diff. morb. c. 10. p. 870.

([7]) P. AEGIN. L. IV. c. 55. p. 156.

generis est ἀγκυλόγλωσσον et ἀγκυλοβλέφαρον. Ankyloglosson est vitium linguae, quae adstringitur per frenulum contractum et quo loquela ac deglutitio denegatur (1); ankyloblepharon est coalitus palpebrarum oculi inter se, ab ulcere negligenter et imperite tractato (2). Relaxantur vero articulationes in morbis febrilibus, chronicis, torminibus, paralysi, temperie frigida et calida articulationes occupante (3).

§. 54. Vitium alterum in organorum situ observatur, cum ista collocationem non debitam servent. Omne enim organon situm suum proprium habet, quo adhaerens functiones suas peragit. A proprio vero ac definito situ organon recedens functiones integras esse non patitur. Vitia, quae organorum situ praeter naturam mutato accidunt, sunt luxatio, hernia, prolapsus ac aberratio.

Luxatio (ἔκπτωσις) est articulorum a sede sua prolapsus, sine ulla fractura praegressa (4). Luxationes oriuntur a repentinis validisque motibus, nimia quantitate synoviae, quae ligamenta laxat et lumbricam articulationem facit, marginibus accetabulorum comminutis, vel e primo conformationis momento resupinis et deiectis marginibus existentibus et acetabulis prorsus patulis HIPPOCRATE (5), GALENO (6) et ORIBASIO (7) monentibus. Diuturni morbi,

---

(1) Id. Lib. IV. c. 29. p. 184.

(2) AETIUS Tetrab. II. S. III 64. CELS. de medic. L. VII. c. 7. Perperam cel. BENEDICT (*Handbuch der pract. Augenheilk.* Th. III. p. 98.) monet rectius dici ἀγκυλοβλέφαρος quam ἀγκυλοβλέφαρον, cum non perspiciat discrimen, quod est inter substantivum ἀγκυλοβλέφαρον et adiectivum ἀγκυλοβλέφαρος!

(3) PAUL. AEGIN. L. IV. c. 56. p. 156.

(4) GALEN. Comm. in HIPP. de articul.

(5) HIPP. de articul. p. 784.

(6) GALEN. de caus. morbor. c. 10. p. 35, 36.

(7) ORIBAS. de fractis et luxatis p. 130. in Graecorum chirurgici libri etc.

qui corpus contabescunt luxationes producunt, ASCLEPIADE observante ([1]). Luxationum duo dantur species, subluxatio nimirum et luxatio completa.

Subluxatio (διακίνημα, παράρθρημα) est levior gradus luxationis, qui oritur, dum os pro parte nec. plane extra articuli foveam secedit; contigit hoc utplurimum ex mutuo inter se affrictu partium, aut ex equitatione, aut etiam cinctu et calcatu ([2]).

Luxatio completa (ἐξάρθρημα) est articuli totius a sede sua perfecta decessio ([3]). Luxationes accidunt in maxilla inferiore, ab ore vehementer aperto, si volumus ore quidpiam magnae molis apprehendere, vel ubi quam maxime hiamus ([4]); in humero ([5]), in spina vertebrali, a tuberositate inter vertebras increscente; spinae vertebralis luxationes sunt lordosis, dum tuberositas in una parte oritur; gibbus, si tuberositas duabus partibus intermedio aliquo laeso comprehenso orta sit; scoliosis, si dura et cruda tuberositas alicubi ad latus existat; his autem vitiis adnumeratur σεῖσις h. e. concussio, quae oritur, si iuncturae dimoveantur, vertebrae autem loco mancant ([6]). Oriuntur vero a luxationibus spinae vertebralis diversa mala; ita gibbus causat dyspnoeam, utpote cavitates, quae spiritus excipiunt et reddunt, angustiores evadunt, atque homines guttorosi fiunt, nec non tuberculorum in pulmonibus genesi favet, producit vitia renum ac vesicae urinariae, coxas magis extenuat, foecuuditatem imminuit ac vitae spatium

([1]) NICETAS. l. c. p. 154.

([2]) CELS. de medic. L. VIII. cap. 14. conf. GORR. defin. medic. v. παράρθρημα.

([3]) PAUL. AEGIN. L. VI. c. 111. p. 220.

([4]) HIPPOCR. de artic. p. 797. GALEN. Comm. II. de artic. t. 9. pag. 495.

([5]) HIPPOCR. de articulis p. 779.

([6]) GALEN. Comm. III. de artic. t. 2. ORIBAS. l. c. p. 153.

contrahitur ([1]); scoliosis vero producit totius corporis debilitatem, stuporem, mortem ([2]) et alia mala.

§. 55. Hernia (κήλη) est situs visceris praeter naturam in loco alieno involucro quodam absconditus ([3]), qui et abdomini et faciei et pectore accidit. Frequentissimae autem herniarum sunt, quae abdomini accidunt atque respectu loci, quem occupant, vario modo adpellantur, ut nunc hernia inquinalis, nunc hernia intestinalis, nunc hernia omentalis audiat. Hernia inquinalis (βουβονωκήλη) oritur a destructione et ruptione peritonaei ([4]). Hernia vero intestinalis (εντεροκήλη) originem suam ab iisdem causis petit; nec non relaxatio et corporis debilitas symbolam suam conferunt ad producendam herniam intestinalem ([5])· Omentum autem in scroto descendens epiplocelem generat ([6]). Non raro cum omento et intestinum foras exit, quod ἐπιπλοεντεροκήλη adpellatur ([7]).

Herniae pectoris a continui laesione per vulnus, fracturam etc. oriri solent ([8]).

Herniae faciei sunt eae, dum cornea errosa, uvea relaxatur et prolabitur ([9]), quae, si sit parva et similis muscae capitis μυϊοκέφαλον audit, si vero magis adaucta fuerit, staphyloma nuncupatur ([10]).

§. 56. Prolapsus (πρόπτωσις) est visceris cuiusdam e cavo suo egressio, quae musculorum atque ligamentorum,

---

([1]) Hipp. de articulis p. 807.

([2]) Id. ibid. p. 815.

([3]) Galen. defin. medic.

([4]) P. Aegin. L. VI. c. 65. Aetius Tetrab. IV. S. II. c. 24.

([5]) Galen. de caus. morb. c. 10. p. 36. P. Aegin. L. VI. c. 65. pag. 199.

([6]) P. Aegin. L. VI. c. 65. p. 200.

([7]) Id. loc. cit.

([8]) Galen. de caus. morb. c. 10. p. 36. de loc. affect. L. I. c. 1. p. 5.

([9]) Id. de caus morb. c. 10. p. 36.

([10]) Paul. Aegin. L. III. c. 22. p. 75.

quibus firmatur et continetur viscus, laxitate et debilitate oritur ([1]). Prolabuntur frequenter anus, uterus, bulbus ex orbita etc. Prolapsus ani (πρόπτωσις ἀρχοῦ) est expulsio intestini recti, quae pueris accidit. Prolapsus uteri (πρόπτωσις ὑςέρας), per vaginae orificium foras secessum exhibet, atque paralysi genitalium, relaxatione ligamentorum latorum, concussionibus magnis, violentu partu, abortu etc. oritur ([2]). Prolapsus oculi ex orbita, qui ἐκπιεσμὸς audit, oritur e conferta et crassa fluxione AETIO monente.

§. 57. Aberratio (παράλλαγμα) sistit partium inter se alternationes, immutationes, aut perversiones, ubi alia super aliam effertur ([3]). Aberrant musculi, nervi ([4]), uterus, cuius duplex est aberratio in graviditate, cum fundus uteri versus os sacrum promovetur, vel fundus uteri provolvitur in vesicam, cervice et orificio uteri in intestinum rectum vergentibus ([5]).

E) DE COHAESIONE LAESA.

§. 58. Vitiis, quae nexu situque partium accidunt, consideratis, restat nunc et ea, quae in cohaesione laesa considerantur, exponere. Cohaesionis solutionem, quam συνεχείας vel ἑνώσεως λύσιν aut διαφθορὰν ἑνώσεως GALENUS vocat ([6]), producunt causae tam mechanicae, quam internae ([7]). Existunt autem cohaesionis laesiones non solum corporis partibus mollibus, sed etiam duris.

([1]) vide GORRAEI defin. medic. v. πρόπτωσις.

([2]) ARET. de caus. et sign. morb. diut. L. II. cap. 11. pag. 64. GALEN. de facult. natur. L. III. P. AEGIN. L. III. c. 52. p. 120.

([3]) HIPPOCR. Mochlic. p. 866.

([4]) Id. de articul. p. 797.

([5]) Id. de morb. mulier. L. I. p. 590, 597.

([6]) De caus. morb. c. 11. p. 37. meth. med. L. V. c. 2. p. 309. etc.

([7]) GALEN. de diff. morb. c. 11. p. 871.

§. 59. Quae partibus mollibus corporis laesiones cohaesionis accidunt, sunt contusio, illisio, ruptio, vulnus et ulcus.

Contusio (θλάσμα et θλάσις) est illud vitium, quod oritur, dum grave ac durum corpus extrinsecus super carnosas corporis partes incidit, remanente continuitate in superficie partis affectae. Si vero contusum cavitatem quandam habet, illisio (ἐνθλασις) audit ([1]). Ruptura (ῥῆγμα) est continui solutio in carne extensione oriens ([2]), quae duplex est: dirumptio nempe et abrumptio. Dirumptio paulatim procedens varicem et aneurysma producit ([3]); dirumptio in membranis accidens spasma audit ([4]); abrumptione vero apospasmata oriuntur, quae in ligamentis accidunt ([5]).

Vulnus (τραῦμα) solutionem carnis ex incisione sistit ([6]), cuius variae dantur species. Ulcus (ἕλκος) tandem est forma continui laesionis e praevalente in oeconomia animali nisu destructivo oriens ([7]). Ulcerum varietates diversae sunt secundum formam, ut rectum obliquum, pampini modo retortum, hami ritu simile adparet; secundum magnitudinem, magnum, parvum, breve, longum etc. ([8]); secundum diversitatem superficiei ulceratae fungosum, chironium aut telephium, quod ita nominatur propter difficultatem cicatrisationis ([9]); et tandem secundum diversam ipsius

---

([1]) Id. de caus. morbor. p. 39, 40.

([2]) Id. de constit. medicin. c. 5. p. 238.

([3]) P. Aegin. L. VI. c. 37.

([4]) Galen. de diff. morb. c. 11. p. 872. P. Aegin. L. IV. c. 31. pag. 145.

([5]) Id. meth. medend. L. IV. c. 1. p. 232.

([6]) Id. de constitut. medicinae.

([7]) Galen. de constit. medicinae c. 5. p. 239.

([8]) Id. Meth. medendi L. III. c. 10. p. 222.

([9]) Hipp. de fract. p. 561. Galen. de tumorib. Paul. Aegin. L. IV. c. 4. p. 151.

ulceris formam, expressum cum protuberantibus et eversis labiis ([1]) fistulosum etc. Ex ulcerata plaga fluidum aliquod secernitur, quod audit sanies, quae interdum mali moris est et partes proximas erodit ([2]).

§. 60. Solutio continui in ossibus accidens fractura (κάταγμα) audit ([3]). Fracturae accidunt in ossibus capitis, faciei, spinae vertebralis, pectoris ossibus innominatis, coxa, ossibus bracchii, femoris, pedis etc. ([4]). Fracturas ossium capitis SORANUS divisit in fissionem (ῥωγμή), incisionem (ἐγκοπή), camerationem (καμάρωσις), subgrundationem (ἐγγείσωμα), impactionem (ἐμπίεσμα) et dedolationem (ἀποσκεπαρνισμός) ([5]). Praeter dictas fracturas capitis contrafissura (ἀπήχημα) in calvariae partibus oppositis, quae percussae feruntur sine vulnere superpositorum, accidit ([6]). Contrafissuram in capite HIPPOCRATES memoravit ([7]), quod FALOPIUS, DIEMERBROECKIUS, ROUHAULT male in dubium vocarunt, cum D. WAGNERUS atque LE MAIRE hoc extra dubitationis aleam posuerint, HEISTERO recte observante ([8]). Datur adhuc et aliud vitium ossium capitis, quod a DEMETRIO ex Apamea ἐμπίεσμα adpellatur, quod fit utplurimum pueris ([9]).

§. 61. Fracturae ossium a causis mechanicis atque vita plastica morbose adfecta oriuntur. Humores, qui ossa nutriunt, putredine adfecti cariem producunt ([10]); ossa ab

---

([1]) GALEN. de constit. medic. c. 5. p. 239.
([2]) Id. Meth. med. L. III.
([3]) Id. Meth. medic. L. III. c. 1. p. 160, L. IV. c. 1. p. 232. de arte medica c. 30. p. 387.
([4]) SORANUS de fract. p. 51. P. AEGIN. L. VI. c. 91-105. p. 213.
([5]) SORANUS loc. cit. p. 44.
([6]) SORANUS loc. cit. p. 46.
([7]) De vulneribus.
([8]) Institut. Chirurgic. Tom. I. p. 141. (Amstel. 1750. 4.).
([9]) SORANUS loc. cit. p. 46.
([10]) Τερηδὼν ἐςὶν ὀστοῦ κατάτρησις ἀπὸ φθορᾶς. GALEN. defin. med.

ipsa nativitate vitiata rachitidem producunt, quam perperam Graecis ignotam esse GLISONIUS monet, cum satis clara vestigia de hoc morbo apud eos occurrunt, quae HEBENSTREIT ([1]) atque GRUNERUS ([2]) exposuerunt.

Os fractum natura unire studet, uude in labris ossis fracti excernitur materia viscosa ac mollis, quae paulatim fit sicca, dura ac alba ([3]). Calum ossium (πῶρος) GALENUS docet fieri e nutrimento idoneo ossium, quod est crassissimum ac maxime terreum, in labris fracturae concrescente([4]), ANDREAS CARYSTIUS e medulla ossium derivat, CASSIUS autem ex alimenti substantia ad loca ista collecta generari observat ([5]).

§. 62. Nosologia generali exposita secundum triplicem divisionem, tempus nunc est, ut vela demus ad explicationem causarum morbificarum, quae aequilibrium harmoniae vitalis turbant, unde magna morborum cohors caput suum extollit, quae innumeras, atroces, tristes, diras, durasque insidias confertim miserrimae ac flebili saluti humanae struunt, Charontisque navem quotidie implent mortuorum animis, PLUTOque gaudet victimas innumeras videns in suis tenebrosis ac mucosis aedificiis, in quibus regnat:

Luctus ubique, pavor et plurima mortis imago.

([1]) Palaeologia Therapiae p. 688.
([2]) Antiquitatis morbor. S. II. c. 6. p. 141. (Vratisl. 1774. 8.).
([3]) GORRAEUS defin. medic. v. πῶρος.
([4]) Meth. med. L. VI. c. 5. p. 427, 438.
([5]) CASSIUS Quaestion. c. 58. p. 47. ed. Gesneri.

LIBER II.
DE CAUSIS MORBORUM.

DE CAUSA MORBI.

§. 63. Differentiis morborum expositis age nunc inquiramus eorum causas. Causarum vero cognitio medico summi momenti est, utpote eum ducit ad medelam morbi, sicuti HIPPOCRATES diserte dicit ([1]). Hanc ob rem maxime falluntur, qui, Methodicorum modo ([2]), Aetiologiam, gravem Pathologiae partem, prorsus negligunt, et empiriam rudiorem sequuntur, quae ad scopulos et syrtes temerarios istos ducit, unde proh dolor! multa graviaque, quin et incredibilia paene mala oriuntur, quae miseros mortales, festinatis fatis, ocyssime e vita rapiunt.

§. 64. Harmoniam vitalem turbari non posse, nisi causa adfuerit, iamiam notum est. Quare ἰατρῶν παῖδες causam id esse volunt, quod ei, quod fit morbo aliquam generationis partem contribuit ([3]). HIPPOCRATES ([4]) aliique ([5]) existimant causam esse id, quo praesente afficiamur, sublato autem cesset affectus. Ut autem fit morbus non tantum potentia nocens, verum etiam dispositio corporis vivi requiritur, quae est status aliquis corporis, sub quo vita illius per potentias nocentes ad actionem abnormem provocari

---

([1]) De flatib. p. 296. conf. de morb. mul. L. I. p. 598.

([2]) GALEN. de Theriaca ad Pisonem c. 16. p. 278. Tom. XIV.

([3]) GALENUS de diff. symptom. c. 1. pag. 47. conf. Gaubii Inst. pathol. §. 61.

([4]) De veteri medicina p. 16.

([5]) GALEN. de loc. affectis L. I. c. 2. p. 23.

potest ([1]). Momenta autem haec per certam inter se rationem praevalentem morbum producunt, nam quanquam calor, frigus, ustio etc. febrem generant, tamen praeternaturalis ille vitae status non semper accidit, etsi homo dictis iniuriis expositus sit, uti GALENUS monet ([2]), cui et recentiores Pathologi suffragantur ([3]).

Dividuntur causae vario modo. Dictator summus artis nostrae causas morbosas quanquam diserte non diviserit, tamen exposuit in suis scriptis occasionalia et disponentia morbi principia ([4]), quod GALENUS etiam affirmat ([5]). Occasionales seu externae morbi causae sunt: divinum, potus, cibus, res diversae violentae, quae pungendo, secando etc. aequilibrium sanitatis turbant ([6]); disponentes autem sunt generatio, aetas, sexus, temperamentum, corporis habitus, ut infra videbimus. Empiricorum secta evidentes causas ut necessarias amplexa est, internarum vero, quod obscurae sint ac incerta coniectura cognosci queant, quaestionem supervacuam esse contendit (§. 18.). Methodici vero diviserunt causas morbificas in procatarcticas (*προκατάρξαντα*), quae postquam morbum effecerunt separantur, ex. gr. labor, frigus, aestus etc.; et continentes (*συνεκτικά*),

---

([1]) *Διάθεσις ἐφ' ᾗ πέφυκεν ἡ νόσος.* GALEN. defin. medic.

([2]) *Τί δ' οὖν δή, φασὶν διὰ παντὸς ἐφ' ἑκάστῳ τῶν εἰρημένων αἰτίων ἀνάπτεται πυρετός; ὅτι καὶ τὸ ποσὸν τῆς δρώσης αἰτίας ἄνισον ἐστὶ καὶ ἡ συστᾶσα διάθεσις ἐπ' αὐτῆς ἐν τῷ σώματι παμπόλλην ἐν τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον ἔχει τὴν διαφορὰν, αὐτό τε τὸ σύμπαν τοῦ ζώου σῶμα πάμπολυ διενήνοχεν ἕτερον ἑτέρου πρὸς τὸ ῥαδίως ἢ μόγις ἐξίστασθαι τοῦ κατὰ φύσιν. — Ἐν δέ γε τῷ παρόντι μηδὲν εἶναί σοι φαινέσθω θαυμαστὸν, εἰ καὶ χρόνου δεῖται καὶ μεγέθους τὸ μέλλον ποιήσειν ὁπωσοῦν καὶ προσέτι τοῦ πλησιάζοντος ἐπιτηδείου παθεῖν.* GALEN. de caus. morb. p. 6, 8. de diff. febr. L. I. c. 6. p. 291.

([3]) HARTMANN Theoria morbi p. 326.

([4]) vide RINGSEIS de doctrina Hippocratica p. 72, 74.

([5]) Introduct. c. 13. p. 728. De caus. morb. c. 2. p. 10. Comm. in Aph. I. 1. p. 346.

([6]) Prognost. I. 14. de morb. sacro IV. 56. GALEN. Comm. II. de natur. human.

quae excitato morbo etiam nunc permanent ([1]). Secundum Pneumaticos causa efficiens morbi est calidum et frigidum, siccum vero et humidum, causa materialis ([2]). GALENUS autem divisit causas morbificas in externas et internas, manifestas et occultas, quod iam supra monuimus (§. 23.). Alii vero veterum medicorum introduxerunt causas coadiuvantes (συνεργά) et concausas (συναίτια) ([3]). Missis aliis minoris momenti causarum differentiis, quae a quibusdam veterum medicorum statutae sunt, divisionem sequentes, quam HIPPOCRATES proposuit, operam demus, ut concinnam expositionem causarum morbificarum subiungamus, quantum temporis, et praesertim chartae spatium circumscriptum nobis permittet.

SECTIO I.

DE CAUSIS DISPONENTIBUS.

§. 66. Corpore iam ab eius interna conditione ad morbos disposito (§. 29.), causae morbificae per dispositionem, quae maximam partem ad generationem morborum contribuit atque diversa est (utpote cum corporum constitutiones variae ac dissimiles sint, idcirco quidam facile vincuntur ac promptissime a causa agente superantur, alii autem invicti penitus ac impatibiles sunt, vel difficulter patiuntur ([4])), physin humanam tentant diversis modis ac duro, horrido et mortifero Plutonis imperio impellere inter se certant. Quanquam omnes morborum causas humana physis enucleare nequeat, cum ea crassis occultata et circumdata tenebris sit, tamen mens humana, quae solo phaenomenorum intuitu acquiescere nequit, firmissimis et in-

([1]) DIOSCOR. de iis, quae virus eiacul. p. 52. T. II. ed. Sprengel.
([2]) GALEN. de elementis L. I. c. 12.
([3]) Id. introduction. c. 8. p. 691.
([4]) Id. de diff. febrium L. I. c. 6. p. 291, 296.

expugnabilibus probationibus innixa invenit corpus vivum a generatione, aetate, sexu, temperamento et habitu corporis ad morbos disponi, quae nunc breviter exponere conabimur a generatione initio facto.

§. 67. Generatio producto novo non tantum materiam, qua constituitur, sed etiam omnem eius vitae modum imprimit, et diathesin eius morbosam secundum plus aut minus communicat (¹). Hoc autem extra dubitationis omnis aleam ponunt, qui arthritide, phthisi, epilepsia etc. laborant; morbi enim isti a parentibus ad proles, a prolibus ad filios communicantur, uti Hippocrates (²), Aretaeus (³) ac Galenus (⁴) docent. Morbosa multa adhuc vitia a parentibus ad proles transeunt, uti coecitas, clauditas, calvities etc. Hippocrate (⁵) et Aristotele (⁶) observantibus. Quare optime cecinit olim poëta ille iucundissimus:

Multa pater materque valent infundere natis,
Transit et seri iura nepotis avus.

Hinc perquam apposite acuteque Musa venustissima Horatii canit:

Aetas parentum peior avis tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem (⁷).

conf. I. G. Rougemont *Abhandl. über die erbl. Krankh. aus dem Franz. von Wegeler. Frankf.* 1794. 8.

(¹) Φημὶ τὰ ἐν τῇ γῇ φυόμενα, πάντα ζῇν ἀπὸ τῆς γῆς ἰκμάδος, καὶ ὅκως ἂν ἡ γῆ ἔχῃ ἰκμάδος ἐν ἑωυτῇ, οὕτω καὶ τὰ φυόμενα ἔχειν, οὕτω καὶ τὸ παιδίον ζῇ ἀπὸ τῆς μετρὸς ἐν τῇσι μήτρῃσι, καὶ ὅκως ἂν ἡ μήτηρ ὑγιείης ἔχῃ, οὕτω καὶ τὸ παιδίον ἔχει. Hipp. de natur. pueri p. 245. conf. de septimest de genitur.

(²) De morbo sacro p. 303.

(³) De curation. morb. diut. L. II. c. 12. p. 133.

(⁴) De causis morborum.

(⁵) De aquis et loc. §. lxxxii. p. 74. ed. Coray conf. Voigtel *Handbuch der pathol. Anatom.* Bd. I. p. 92. (*Halle* 1804.).

(⁶) Historia animal. L. VI. c. 6.

(⁷) Carmin. L. III. Od. VI. v. 46-48.

§. 68. Percurrit corpus vivum humanum a primo conformationis momento usque ad eius dissolutionem naturalem diversa stadia, quae varie varii veterum diviserunt. HIPPOCRATES tria statuit aetatis stadia, aetatem iuvenilem nempe, virilem et senilem (¹); huic autem divisioni adstipulatur ARISTOTELES (²); GALENUS vero curriculum precariae nostrae vitae divisit in infantiam, iuventutem, mediocritatem et senectutem (³). In quolibet stadio vita sub alio conformationis modo, aliaque ad naturam externam ratione, nec non alia ad morbos dispositione apparet (⁴). Quae autem vitia unicuique aetati praevalenat, atque nos miseros infesto impetu adoriantur, nunc paucis exponemus, GALENI divisionem aetatum sequentes.

§. 69. Aetas infantilis. Corpus humanum sub hac aetate est maxime humidum, atque ossium natura potius cerea quam lapidea existit (⁵). Mutationes autem, quae hac aetate accidunt, disponunt corpus variis morbis. Dentium enim evolutio turbationes insignes in organismo producit, unde vomitus, diarrhoea, spasmi, qui oriuntur ab infirmitate ac mollitie nervorum, GALENO observante (⁶), caput suum extollunt; infestant hoc aetatis stadium aphthae, hydrocephalus, scrophulae, vermes et praecipue ascarides, angina membranacea, tussis convulsiva (⁷) et alia multa mala.

§. 70. Aetas iuvenilis. Incrementum corporis ad perfectionis gradum propius accidit; semen genitale in tes-

(¹) HIPP. de alimentis p. 51.

(²) Rhetoric. L. II. c. 12. p. 435. de vita et morte c. 18.

(³) Definit. medicar. c. 104. p. 374.

(⁴) HIPPOCR. de morbo L. I. p. 456.

(⁵) GALENUS Comm. in Aph. III. 24. De composit. medic. s. loc. L. VI.

(⁶) Comm. II. in Epid. L. I. t. 57. p. 157.

(⁷) HIPPOCR. Aph. III. 24, 25. GALEN. Comm. ad h. l. CELSUS L. II. c. 1.

ticulis gignitur ac pili circa pudenda efflorescunt ([1]); in hac aetate viscera pulmonum facile adficiuntur, unde inflammationes pulmonum, phthisis pulmonalis, haemorrhagiae etc. accidunt ([2]); magna praeterea adest in hac aetate dispositio ad satyriasin et in genere ad venerem ([3]).

§. 71. Aetas virilis. Culmen revera et fastigium vitae humanae, in qua omnes functiones in suo vigore consistunt, minorem ad morbos in se gerit dispositionem; ast et hoc vitae stadium non manet morbis immune, cum stases in vasis haemorrhoidalibus oriuntur, unde haemorrhoides profluunt ([4]), quae Iliadem malorum vitae humanae adferunt.

§. 72. Aetas senilis. In hoc stadio, quo vita incipit a fastigio perfectionis descendere, corporis tonus decrescit, caro liquescit, organa rigescunt, calorque vitalis imminuitur ([5]). Disponit haec aetas corpora ad tussim, catarrhos, arthritidem, apoplexiam, calculorum genesim, pruriginem, vertiginem etc. Hippocrate observante ([6]). Comitantur senectutem tremores, ideoque senectus *τρομερὸν γῆρας, τρομεραὶ χεῖρες, τρομερὰ γυῖα*, h. e. tremebunda senectus, tremulae manus, tremulique lacerti apud Poëtas Graecos et Romanos audit ([7]). Hinc perquam bene ac apposite in gra-

---

([1]) Galen. Comm. II. de humor. t. 36. p. 338.

([2]) Hipp. Aph. III. 29. V. 9. VIII. 6. De morb. L. I. pag. 456. Aret. de caus. et sig. m. diut. L. I. c. 8. p. 37. Cels. L. II. c. 1.

([3]) Aretaeus de caus. et sign. acut. morb. L. II. c. 12. p. 26.

([4]) Hipp. Aph. III. 30. Galen. Comm. ad h. l.

([5]) Hipp. de morb. L. I. p. 456. Galen. de sanit. tuend. L. I. cap. 2. pag. 5.

([6]) Aph. III. 31. Galen. de sanit. tuend. L. V. c. 8. pag. 349. Paul. Aegin. L. IV c. 4. Lucian. Dialog. mort. pag. 271. Tom. I. Seneg. Epist. L. LXXVIII. Catul. Carm. XLIV. ad fundum.

([7]) Euripid. Phoeniss. v. 310. et Herc. fur. v. 231. Ovid. Metamorph. L. VIII. XIV. Manil. Astonom. L. II. Catul. Carm. LX. 161. etc.

phica illa vividaque morborum senilium descriptione cultissima Musa IUVENALIS exprimit:

> Una senum facies cum voce, trementia membra,
> Et iam leve caput, madidique infantia nasi ([1]).

Atque iure exclamat poëta senilis, MAXIMIANUS:

> Hinc miserum scabies, hinc tussis anhela fatigat,
> Continuos gemitus aegra senectus habet.

conf. D. W. TRILLERI Diss. de senilibus morbis etc. in eius opuscul. medic. ac medico-philol. Tom. III. pag. 313-362.

§. 73. Magnam esse differentiam, praeter organorum genitalium structuram, inter virum et foeminam, quoad dispositionem morborum HIPPOCRATES testatur ([2]). Corpus enim virile altiori vitae gradu quam foemineum gaudet, cum systema nervosum ac musculare robore et constania maiori et altiori praeditum sit ([3]). Hac ex causa homo morbis non tantum est dispositus. Foemineum vero corpus, quod est rarius ac laxius quam virile, non habet eum vitae altioris gradum, cuius compos est vir ([4]). Hinc recte ARISTOTELES et Peripatetici animi operationes in viris illustriores existimaut esse, etsi PLATO ac Platonici contendant ad eadem animi studia, et easdem operationes, aeque mulieres, atque viros natos esse ([5]). Sensibilitas maior est in foemina, sed minor actionis vis, et animus magis pusillus ac demissus est ([6]), atque mulieres magis quam viri nervorum disten-

---

([1]) Satyr. X. 198.

([2]) De morb. L. I. p. 456.

([3]) Id. de morb. mulier. L. I. p. 589. GALEN. de dogmat. Hipp. et Plat. L. IX. c. 3. p. 742.

([4]) Φημὶ τὴν γυναῖκα ἀραιοσαρκωτέρην καὶ ἁπαλωτέρην εἶναι ἢ τὸν ἄνδρα. HIPP. de morb. mul. L. I. p. 588. conf. de glandul. p. 273. GALEN. de usu part. L. VII.

([5]) vide H. MERCURIALIS de morb. mulier. L. I. c. 1.

([6]) HIPP. de virgin. morb. p. 562.

tione tentantur ([1]), nec non ad hydropem magis dispositae sunt, uti HIPPOCR., et post eum SYDENHAMUS contendunt. Sexuales functiones, quae magnopere vitam foemineam commutant, sub diversis temporibus variam faciunt ad morbos dispositionem. Periodicus ille sanguinis fluxus corpora virginum disponit ad potentias nocivas externas, atque mala ex turbato fluxu sanguinis oriuntur ([2]). Momentum etiam illud vitae foemineae, quo sanguinis fluxus cessat, vitam disponit ad novas metamorphoses in corpore procreandas, quales sunt scirrhus, cancer et alia eiusmodi tetra ac perniciosa mala GALENO testante (§. 50.).

§. 74. Non parva est temperamentorum potestas ad disponenda ad morbos corpora humana. Temperamentorum doctrina a philosophis et medicis theoriae quatuor elementorum vel humorum cardinalium suffulta fuit, secundum quam datur temperamentum humidum et calidum (sanguineum), humidum et frigidum (phlegmaticum), siccum et calidum (cholericum) atque siccum et frigidum (atrabilare). Quidam vero veterum humidum quoddam ac frigidum simul temperamentum esse affirmant, atque etiam alterum calidum simulque siccum; non tamen humidum simul et calidum; neque frigidum simul et siccum temperamentum esse; cum calor et humiditas, frigus et siccitas non possint inter se consentire, imo unum aliud absumat atque deleat ([3]). Stoicorum quoque caterva mixturam elementorum varietates temperamentorum efficere professa est ([4]). Perfectius autem doctrinam temperamentorum GALENUS

([1]) ARETAEUS de caus. et sign. acut. morb. L. I. c. 6. p. 3. conf. SWIETEN Comm. in Boerh. Aph. 712, 713.

([2]) MOSCHION de mulier. passion. c. 21. p. 9.

([3]) GALEN. de temperam. L. I. c. 2. p. 511. Comm. III. de humorib. t. 17. p. 423.

([4]) SENECA de Ira L. II. c. 18. p. 27. (Oper. ed. Lipsio Antwerp. 1615. f.)

exposuit ([1]), qui magna cum sagacitate demonstravit innumeros gradus esse inter singularia temperamenta et eorum mutationes, nec non transitus reciprocos quoad aetatem, victus rationem, clima, situm loci etc. Vir iste summus quatuor notis iam temperamentis quintum addidit, in quo neque qualitatem neque vim exsuperare, sed temperatam harmoniam existere pronunciavit ([2]). Temperamenta vero sequuntur mores animi; animi aciem et intelligentiam humor biliosus facit, constantiam et firmitatem melancholicus, simplicitatem et stoliditatem sanguis, pituitae vero natura ad mores conformandos est inutilis ([3]). Disponit temperamentum phlegmaticum ad morbum epilepticum ([4]), phthisim ([5]) etc.; temperamentum vero atrabilare morbis frigidis, cholericum febribus ardentibus ([6]) favet.

§. 75. Habitus corporis, h. e. eius constitutio ([7]) ad disponenda corpora ad morbos magnam confert symbolam ([8]). Optimus corporis habitus ille est, qui tenet medium inter gracilitatem et duritiem, caliditatem et frigiditatem, atque actiones animales et vitales integras habet ([9]). Ast si corporis habitus frigidus ac humidus sit, dispositio ad pinguedinem incontinentiamque musculorum oritur, sicuti etiam ex habitu calido et humido morbi putridi se exsurgunt ([10]). Habitus corporis pinguis accelerat morbum, quare Hippo-

([1]) Hecker *Geschichte der Heilkunde* I. Bd. p. 498.

([2]) Galen. de temper. L. I. c. 3. p. 520. Comm. III. de humor. t. 18. pag. 425.

([3]) Galen. Comm. II. de humorib. t. 40. p. 317. Comm. I. de natur. human. t. 38. p. 97.

([4]) Hipp. de morb. sacro p. 303.

([5]) Id. Epidem. L. III. p. 1089.

([6]) Galen. Comm. III. de humorib. t. 18. p. 425.

([7]) Ἕξιν τὴν τοῦ σώματος κατασκευήν. Galen. de caus. pul. L III.

([8]) Αἱ μέγισαι μεταβολαὶ τῶν περὶ τὰς φύσιας ἡμῶν καὶ τὰς ἕξιας συμβαινόντων μάλιστα νοσοποιέουσι. Hipp. de rat. vict. in acut. p. 61.

([9]) P. Aegin. L. I. c. 60. p. 16.

([10]) Id. loc. cit. p. 17.

CRATES eos, qui paulo habitiores sunt, ταχυθανάτυς appellavit ([1]); in iis enim angustae sunt venae et arteriae, proindeque paucum sanguinem et spiritum continent, adeo ut ipsis aetate provectis levi occasione vis vitalis celeriter destruatur, sicuti GALENUS dicit ([2]). Obesi diu consistere non possunt, atque morbis acutis et difficultate spirandi succumbunt CELSO monente ([3]). Habitus corporis macilentus corpora ad phthisin (φθόη) disponit; habitus iste cognoscitur a thorace, qui est tam angustus et restrictus, ut alarum instar scapulae a tergo promineant, qua ex causa eos πτερυγώδεις nec non φθινώδεις veteres appellavere ([4]).

§. 76. Praeter habitum corporis consuetudo in vitam animalem magnum exserit influxum ([5]). Consuetudinis, quam iure alteram naturam appellavere ([6]), ratio habenda est in victu, tegumentis, laboribus, somno, rebus venereis et animi pathematibus ([7]); si vero mutatio aliqua repentina in dictis momentis accidit, corpora ad morbos varios disponuntur, aut eorum imperio victas manus tradunt. Iam manifestum est ex fida constantique experientia cibum, potum, baluea, vigilias, somnum, frigus etc. repente detracta morbum producere ([8]); haemorrhoidum etiam fluxus tempore consueto non fluens magnas producit in corpore humano molestias, ERASISTRATO observante ([9]). Ideo-

---

([1]) Aph. II. 44.

([2]) Comm. in Aph. II. 44. p. 547.

([3]) De medicin. L. II. c. 1, 2.

([4]) GALEN. Comm. I. in I. Epid. t. 19. p. 62.

([5]) Id. Meth. med. L. XI. c. 13. p. 777.

([6]) HIPP. Aph. II. 50. ARISTOT. Ethic. L. VII. cap. 11. GALEN. de simplic. med. facult. L. III. c. 18. CICERO de finib. L. V. c. 25.

([7]) HIPP. Epidem. L. VI. S. VIII. p. 1201.

([8]) GALEN. Comm. in Aph. II. 50. De consuet. c. 1. p. 116.

([9]) Id. de consuetudin. c. 1. p. 114. ed. Dietz.

que HIPPOCRATES ([1]) et ex eo CELSUS ([2]) homines mutationibus paulatim adsuescere debere persatis docuerunt.

SECTIO II.

DE CAUSIS NOCENTIBUS.

§. 77. Omnibus iam dudum expositis causis, quae corpus ad morbos praeparant, ad potentias, quae morbos provocant, examinandas et investigandas nunc progredimur. Omne illud, quod, corpore iam per dispositionem (παρασκευὴν) parato ad morbnm, abnormen statum vitae provocat, causa morbi occasionalis seu πρόφασις audit ([3]). Causae vero occasionales sunt variae, quae corpus commutant et laedunt; principes tamen istarum sunt universum (θεῖον), aër, cibus et potus, medicamenta, quies et similia. Haec vero, si commode ministrentur, causae sunt et conservantes et salubres, si vero incommode morbosae fiunt ([4]).

DE INFLUXU UNIVERSI.

§. 78. Coelestia corpora, quae universum constituunt, continuo consistunt commercio, ut omnia ipsa semet attrahant et repellant ([5]). Terram quoque cum reliquis corporibns coelestibus in mutua ratione esse, iam antiquitas extra omnis dubitationis aleam posuit ([6]). Hac ex causa astrorum ortus et occasus non parvum exserit influxum ad morbos; stellae autem imprimis sunt stella canina (κύων), Arcturus et Pleiadae ([7]). Maior autem est in-

([1]) Aphor. II. 51.
([2]) De medicin. L. I. c. 3.
([3]) vide FOESII Oecon. Hipp. v. πρόφασις.
([4]) GALEN. arte medic. c. 23. p. 368.
([5]) PLUTARCH. de facie in orb. lunae p. 656. Tom. IX.
([6]) GALEN. de dieb. crit. L. III. c. 2. p. 902.
([7]) HIPP. de aëre aq. et loc. §. VII. LXIX. p. 6. 62. ed. CORAY.

fluxus solis et lunae in terram et in hominem. Solis enim eclipsis ad novarum epidemiarum generationem symbolam suam confert, uti ab enarratione THUCIDIDIS bene patet (1). Coitus quoque solis cum luna vehementes mutationes producit (2); quare labores siderum metum et formidinem veteribus produxere (3). Luna vero increscens atque decrescens maris increscentiam et decrescentiam producit, sicuti PYTHEAS observavit (4), atque ostrea, echinos et multa animantium genera consimilis virtutis implet et alit (5). Ratio vero influxus corporum coelestium in organismum humanum clarius patebit, si speciatim de luna et inprimis de sole agamus, a quo lux, calor, constitutio aëris etc. dependent.

§. 79. Quantam enim potestatem lux possideat ad vitam conformandam ac elaborandam plantarum expositio lucis efficaciae abunde docet; expositis enim plantis eius influxui, materia earum perfectius elaboratur (6); multo maior hominibus actio lucis perspicua evadit, in quibus maior sensuum alacritas ac maius animi robur observatur (7). Luce vero absente, terra inefficax et tenebrosa et vita organica in infimo gradu est (8); homines etiam in tenebris viventes corpora foeda habent, pallidi, languidi, et evanidi albant, caroque morticina est (9). Lux autem intense in oculum agens irritabilitatem et sensibilitatem eius

(1) De bello peloponnes. L. I. c. 23.

(2) GALEN. de dieb critic. L. III.

(3) PLUTARCH. de facie in orbe lun. p. 680. PIND. fragm. T. III. p. 59. ed. Heyne. PLIN. Hist. Nat. L. II. c. 12.

(4) GALEN. de hist. philos. c. 22. pag 299. ARISTOT. de mundo c. 4. conf. BECKMANN ad Arist. de mir. auscult. c. 56. p. 113.

(5) A. GELL. Noct. Attic. L. XX. c. 8. MANIL. Astron. L. II. v. 93.

(6) HIPP. de genit. p. 242, 245.

(7) PLUTARCH. Amatorius p. 62, 64. Tom. IX.

(8) Id. ubi sup. p. 63.

(9) SENECA Epistol. CXXII.

detrahit, unde dolor, lippitudo, lacrymae, caligo et tandem ipsa coecitas oritur ([1]). Reflecta lux molestiam oculo producit ([2]), sicuti e nive amaurosim generat ([3]). Detractio vero lucis debilitatem erga lucem producit, quare Tyrannus Syracusorum crudelissimus homines carceribus tenebrosis includebat, postea autem eos in domum lixivio dealbatam conducebat, unde lumen miseri isti perdebant ([4]).

§. 80. Memoratis lucis effectibus age nunc et illos caloris adumbremus. Calor, cuius necessitas in vita magna est ([5]), atque principium ipsius vitae existit, uti PYTHAGORAS docet ([6]), naturalem quendam gradum habet, quo homo diutissime sine ulla perceptione molesta fruitur; si vero calor ab isto gradu recedit, aut supra aut infra, corpus morborum imperio victas manus tradit. Res autem clarior reddetur, si rationes omues caloris breviter exposuerimus.

§. 81. Calor externus iusto magis adauctus vitam incitat, unde virium lapsus oritur, sanguis prorumpit, transpiratio cutanea vividius procedit, mens hebetatur ac animi deliquium emergit ([7]). Calor vero adaugetur a balneis, potu et aëre calidiore; balnea calida cutim corporis admodum emolliunt ([8]), respirationem magnam et densam ([9]),

([1]) HIPPOCR. de carnib. GALEN. de diff. sympt. c. 5. p. 57. De caus. sympt. L. I. cap. 2, 6. pag. 92, 117. CAEL. AUREL. de morb. chron. L. I. c. 4. p. 405. CICERO. Somn. Scip. §. 47.

([2]) PLUTARCH. de auxilio capiendo etc. p. 329. Tom. VI.

([3]) ARISTOT. Problem. XXXI. p. 959.

([4]) GALEN. de usu part. L. X. c. 3. p. 775.

([5]) Τὸ σῶμα τοῦ ζώου μέχρι μὲν ἔμπνουν ἐστὶ καὶ θαλερὸν (ὡς ποιηταὶ λέγουσι) θερμότητι χρῆται καὶ ζωῇ. PLUTARCH. de prim. frig.

([6]) SIMPLIC. Enchir. Epict. 38.

([7]) HIPP. Aph. V. 16. GALEN. Comm. ad h. l. De simplic. med. facult. L. IV. c. 2. p. 624. Meth. med. L. VII. c. 6. p. 480. CELS. Lib. II. c. 1.

([8]) GALEN. adv. Erasistr. c. 9. p. 181.

([9]) Id. de diff. respirat. L. I. c. 7. p. 772.

pulsum parvum, debilem, celerem, rarum et tardum (1) faciunt, e balneis calidis AGATHINUS symptomata omnia debilitatis ac irritabilitatis derivavit (2). Abusus balneorum calidorum eczemata producit (3). Potus calidus ventriculi tonum debilitat (4). Aër tandem calidior vel aestuans cutim corporis relaxat, respirationem citatam, anxiam ac brevem facit (5).

§. 82. Calor imminutus praeter naturam frigus audit (6). Effectus frigoris in organismo sunt varii atque utplurimum nocivi. Frigore calor vitalis subtrahitur, atque turgor vitalis imminuitur (7), corpus pallescit (8), vasorum capacitas et corporis moles contrahuntur ANAXIMENE docente (9), nervorum distentio ac rigor (10), immobilitas linguae, paralysis et congelatio humorum inquilinorum oriuntur (11); si vero frigus intensius diutius in corpus agit, ambustiones artuum, ac mortem ipsam producit (12). Frigus in respirationis organa agens tussim, et spiritus difficultatem producit (13), in cutim externam per balnea frigida applicatum varias producit mutationes; balnea moderata frigida favent sanitati, corporaque languida

---

(1) HIPPOCR. de humid. usu §. 10. p. 605. ed. Lind. GALEN. de puls. ad tiron. c. 10. p. 468.

(2) ORIBAS. Collect. L. X. c. 7.

(3) EROTIAN. voc. αἰθόλικες.

(4) GALEN. Meth. med. L. VIII. c. 5. p. 543.

(5) Id. de. diffic. respirat. L. I. cap. VII. p. 769.

(6) Ἡ ψυχρότης στέρησις ἐστὶ θερμότητος. PLUTARCH. de prim. frig. pag. 727.

(7) PLUTARCH. ibid. p. 734.

(8) Id. Symposiac. L. III. c. 5. p. 588.

(9) GALEN. de simplic. med. facult. L. III. c. 6. p. 549.

(10) HIPP. Aphor. V. 7. CELS. L. II. c. 1.

(11) GALEN. dc dogm. Hipp. et Plat. L. VIII. c. 7. p. 703. PLUTARCH. dc prim. frig. p. 754.

(12) TACIT. Annal. L. XIII. 35.

(13) GALENUS de difficult. respirat.

corroborant (1); si vero nimis frigida sint atque diutius adplicentur paralysim sphincterum urethrae et ani producunt (2), pulsum parvum, debilem, tardum et rarum faciunt (3). Frigus per potum etiam in organismo adplicatur; potus frigidus aestuante corpore perniciosos effectus producit (4), quare merito a DIOSCORIDE potio aquae frigidae inter perniciosissima venena refertur (5). Potione aquae frigidae corpus siccatur, pleuritis, synanche, callositas in ventriculo, hydrops etc. oriuntur (6).

DE NOCIVA AERIS POTESTATE.

§. 83. Aër vitae humanae pabulum totum globum terrestreum involvit ac in continua actione cum sole, luna, astris,

---

(1) GALEN. Meth. med. L. X. c. 10. p. 717. Balneorum saluberrimum usum ad servandam, corroborandam ac restituendam sanitatem ASCLEPIADAE medici et post eos HERONICUS introduxere. Praecepta vero usus balneorum ab HIPPOCRATE, ASCLEPIADE, THESSALO, THEMISSONE, ATHENAEO, AGATHINO, HERODOTO, GALENO et aliis medicis fusius ac accuratius exposita sunt. Balnea αὐτοφυῆ dividunt in natrosa (νιτρώδη), salina (ἁλμυρά), sulphurosa (θειώδη), bituminosa (ἀσφαλτώδη), cuprea (χαλκώδη) et ferrea (σιδηρίζοντα), vide PAUL. AEGIN. L. I. cap. 52. pag. 14. conf. librum classicum doctissimi ac ingeniosissimi E. OSANN, inscriptum: *Heilquellen der vorzüglichsten Länder Europa's* Bd. I. S. 450. (*Berlin* 1829. 8.) et EUG. WICHELHAUSEN *über die Bäder des Alterthum's etc. Manheim* 1807. 8.

Praeses fontium calidorum Diana fuit, quam Θερμαίαν appellavere (AEL. ARISTID. Orat. Tom. I. p. 321. ed. IEBB.). In Lesbiis inscriptionibus Θερμία appellatur dea. Festum vero Dianae Θερμίᾳ certis diebus celebratum esse veteres inscriptiones docent (vide S. L. PLEHN Lesbiacorum liber p. 117, Berolini, 1826. 8.).

(2) Id. de loc. affect. L. IV. c. 7. p. 257.

(3) HIPPOCR. de humid. usu §. 11. p. 605. GALEN. de puls. ad tiron. c. 10. p. 468. Vitruv. Architect. L. VIII. c. 3.

(4) CELS. L. I. c. 3. conf. PLIN. Hist. Nat. L. XXXI. 6.

(5) Praefat. ad Alexiph. p. 3. ed. SPRENG.

(6) GALEN. Meth. medic. L. VII. c. 8. p. 504. CAEL. AUREL. de morb. acut. L. II. cap. 3. pag. 110. L. III. cap. 1. pag. 180. CELS. L. I. cap. 3.

et terra ipsa est ([1]). Aëris autem in organismum humanum potestas magna est, cum eum quotidie inspiremus et ab eo vivamus ([2]). Aër vero, quem inspiramus, non est semper purus, qui maximam sanitatis partem constituit, uti Phylidius canit:

Μέγιστον ἐστὶν ὑγείας μέρος
Τὸ τὸν ἀέρ' ἕλκειν καθαρὸν οὐ τεθολωμένον ([3]),

sed vario modo variat quoad temperiem, puritatem etc.

Sole globum nostrum perlucente temperies aëris optima est, ast flexo die ac occidente sole aliam naturam aër induit. Aër nocte condensatur atque comprimit corpus ([4]) et retarguit corporis defluxiones ([5]). Quare morborum exacerbationes nocte accidunt, quod probe ac perite Asclepiades observavit, dicens »Natura Vesperum ob aëris crassitudinem, densata inflat corpora, atque initium generat accessionis« ([6]). Theodor. Priscianus hunc sensum Asclepiadem tuto ac sapienter secutus est ([7]). Ast nemo luculentius ac accuratius dissertiusque rem hanc exposuit, quam praestantissimus Antyllus, cuius integra hic proponimus verba: Αἵτε ὧν ὀδύναι τοῖς νοσῶσιν ἰσχυρότεραι τῆς νυκτός τε καὶ δείλης, εἰκότως, διὰ τὴν ψύξιν πυκνωμένης τῆς ἐπιφανείας, καὶ ἀπολαμβανομένης τῆς κατὰ τὸ ἄδηλον διαπνοῆς. Καὶ τὰ ῥεύματα δὲ, καὶ τὰ τῶν ὀφθαλμιώντων, καὶ τὰ τῶν δυσεντερικῶν, καὶ κοιλιακῶν, καὶ τὰ αἱματικὰ ἀπὸ τῆς αὐτῆς προφάσιος ἐπιγίνεται· παντὸς τοῦ εἰωθότος ἀπίεναι κατὰ τὸ ἀφανὲς, εἰς ἓν τόπον συνδι-

---

([1]) Hippocr. de flatib. pag. 296. Galen. Comm. III. de humor. t. 3. 13. p. 360, 399. Oribas. Synops. L. IX. c. 3.
([2]) Hippocr. de flatib. p. 296.
([3]) Clem. Alexandr. Strom. p. 569.
([4]) Plutarch. de Iside et Osiride p. 505.
([5]) Cael. Aurel. Morb. acut. L. I. c. 15. p. 47.
([6]) Id. de morb. acut. L. I. c. 15. p. 54.
([7]) L. II. seu Logic. cap. 4. p. 73.

δομένῳ τὸν ῥευματιζόμενον [1]. Eodem fere modo hanc rem ATHENAEUS, praestantissimus ille medicus, expressit [2]. Temperiem aëris luna in omni mense quatruplici modo commutat; prima septimana a novilunio usque ad diem septimum temperiem aëris humidam et calidam facit, altera vero septimana usque ad plenilunium siccam et calidam, tertia septimana decrescente luna frigidam et siccam, ultima tandem septimana frigidam et humidam uti ATHENAEUS docet [3]. Solis etiam eclipses temperiem aëris commutant uti PLUTARCHUS docet [4], quod VALLISNERI etiam, RAMAZZINI, summus ac incomparabilis FR. AB HILDEBRANDT in variis solis eclipsibus observaverunt [5]. Aëris vero efficacia quoad temperiem varia est. Frigidus aër facit εὐσαρκίαν καὶ εὐτροφίαν καὶ πιμελὴν, cuiusmodi est videndus incolis regionum septentrionalium. Morbis acutis gignendis satis parem non esse, sed eo magis diuturnos producere, veluti tabem, cachexias et articulorum morbum. Calidus vero aër σωμάτων δαπανητικὸς καὶ ἰσχαίνων τὰ συγκρίματα, sanis vero magis εὐκινησίαν tribuere et εὐτονίαν: in morbis autem facile tentare vires, nervis et pectori conducere, reliquis vero partibus non satis utilem esse [6]. In genere autem aër iuste magis calidus, aut frigidus, aut humidus, aut siccus sanitati non favet [7].

Commixtio aëris cum aliis materiis noxias non parvas imo atroces et funestas producit. Inquinatus aër a paludosis effluviis, viscerum obstructiones, febres perniciosas etc.

---

(1) STOBAEUS Serm. XCIX.

(2) Idem.

(3) AETIUS L. III. p. 61. ed. Aldin.

(4) De facie in orbe lunae.

(5) Animadversiones in constitutionem morborum stationariam etc. pag. 39. Vindob. 1831. 8.

(6) vide ANTYLLI τὰ λείψανα p. 10.

(7) GALEN. Comm. I. in Epid. L. I. p. 3.

producit, sicuti HIPPOCRATES in incolis Paludis Maeoticae observavit ([1]); effluvia ista morbos pestilentiales producunt ([2]); talis pestilentialis morbus in Aegina accidit, a quo omnes bestiae aegrotarunt et homines atrae Lachesis votum absolverunt ([3]). Quare optime monet DIDYMUS locos in vicinia paludum et stagnorum morbos afferre ([4]). Hanc ob rem Romani a Pontinanis paludibus tantam formidinem habebant, ut febri rebelli et malignae, quae inde oriebatur, fanum in Palatio consacrare non neglexerint ([5])! Inquinatur aër ab effluviis multis ac gravibus odorum ([6]); coacervatione multorum hominum in uno loco, uti in castris, domiciliis angustis etc., a quo multae strages et clades oriuntur, quarum multas THUCYDIDES, APPIANUS ALEXANDRINUS, DIODORUS SICULUS, PROCOPIUS, EVAGRIUS aliique scriptores Graeci descripsere; aër pestilentialis depopulationes urbium producit ([7]); inquinant aërem carbonum ardentium vapores ([8]), qui oppressionem, torporem ([9]) ac mortem ipsam producunt, sicuti L. CATULO accidit, qui in angusto conclavi inclusus vapore carbonum exanimavit ([10]); spiracula sive χαρώνεια pessimum mittunt aërem, qui homines enecat ([11]).

([1]) HIPP. de aq. et loc.

([2]) STRABO L. XVII. p. 793. VITRUVIUS Archit. L. V. 3.

([3]) OVID. Metam. L. VII. 523–660. conf. SCHNURER *Chronik der Seuchen* I. Bd. p. 27.

([4]) Geoponic. II, 3. p. 71. ed. Niclas, conf. PLIN. Hist. Nat. XVIII, 6.

([5]) CICERO de natura Deor. L. III. cap. 25. PLIN. H. N. Lib. II. c. 7. AELIAN. var. hist. L. XII. 11. conf. LANCISI de noxiis paludum effluviis. Colon. Allob. 1718.

([6]) GALEN. de usu part. L. VII. c. 8. p. 541.

([7]) Id. de theriaca ad Pison. c. 16. p. 281.

([8]) SCHNEIDER Eclog. physic. Tom. II. p. 133.

([9]) C. AUREL. Acut. morb. L. II. c. 10. p. 105. OVID. Metam. V. 632. IX. 583.

([10]) PLUTARCH. Vit. p. 431. ed. Paris. 1624.

([11]) GALEN. de usu part. L. VII. c. 8. p. 540. Mortiferae Charo-

conf. D. W. TRILLERI de vespertina morborum exacerbatione in eius opuscul. Tom. III. pag. 169-231.

DE VENTIS.

§. 84. Aër commotus ventus audit secundum HIPPOCRATEM (¹) ac alios autores (²). Ventorum ortus multiplex est, diversusque etiam eorum effectus in corpus humanum. Cardinales ventos divus HOMERUS memoravit, canens Boreae, Austri, Euri ac Zephyri vim ac virtutem:

Σὺν δ' εὖρός τε νότος τε ἔπεσε, ζέφυρος τε δυσαὴς
Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης, μέγα κῦμα κυλίνδων (³).

Boreas, ventorum omnium frequentissimus, siccus ac frigidissimus est (⁴) atque sanitati non favet; isto enim flante, tusses, anginae faucium, obstructiones alvi, urinae difficultates cum dolore, dolores pectoris, pleurae, oculorum etc. oriuntur (⁵). Auster vero humiditate multa scatet ac tepore suo corpora enervat (⁶), sensationes obtusas reddit, unde βαρυηκοΐα, amblyopia, segnities et lassitudo oriuntur,

---

neae scrobes fuerunt apud Hierapolin Phrygiae, in Sinacssano agro, et Puteolano, in Palicis Siciliae, et aliis locis, vide APULEI. de mundo p. 729. SENEC. Quaest. Nat. VI. 28. PLIN. Hist. Nat. II. 95. ANTICON. CARYST. c. 133. Cum his plutoniis comparari possunt antrum prope Neapolin GROTTA DEL CANE dictum, et alia talia plura mortifera spiracula; vide librum summa cum eruditione conscriptum ab ingeniosissimo et mihi amicissimo I. L. IDELER: Meteorologia veterum Graecorum et Romanorum p. 29. (Berolin. 1832. 8.).

(¹) De flatib. p. 79.

(²) SENEC. Quaest. nat. V. I. PLIN. Hist. natur. II. 44. GELL. Noct. Attic. II. 30. LUCRET. de rer. nat. L. VI. 685.

(³) Odys. R. V. v. 296. conf. Muséus v. 316. MANIL. Astron. IV. v. 591.

(⁴) GALEN. Comm. III. de humor. t. 13. p. 411. De temper. L. I. c. 2. p. 513.

(⁵) Id. Comm. de humorib. p. 412, 415.

(⁶) Id. de temperam. L. I. c. 4. p. 583. PLUTARCH. de curiositate.

capitis dolor movetur, alvus solvitur [1], et epidemias apoplexiae ac impotentiam generandi producit [2]. Propter lassitudinem et languorem, quibus corpora afficit, auster a poëtis plumbeus [3] et liquidior audit [4]. Eurus, qui ἀπ' ἀνατολῆς χειμερινῆς flat [5], aestatis tempore subfrigidus, hieme vero intense frigidus, pluvias adfert; quare a HORATIO aquosus adpellatur [6]. Zephyrus tandem, ventorum omnium suavissimus [7], est lenis, subhumidus, moderate calidus, atque optime de eo canit VIRGILIUS:

— — — Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus; superat tener omnibus humor [8].

§. 85. Ventorum indoles non tantum e coeli regione, ex qua flant, mutationem patiuntur, verum etiam e locis, per quos spirant et veniunt [9]. Aliter est constitutus aër, qui per deserta et sicca loca, aliter per paludosa, aliter per montes nive aggravatos, aliter per mare, campos etc. flat et adpellitur [10]. Ventos, qui per mare flant, afferre interdum salis particulas, quae devorent flores iisque noceant, THEOPHRASTUS affirmat [11]. Hac ex causa ventorum indoles rite inquirenda est, cum istae mutationes ventorum vario modo corpus morbis obnoxium reddant.

---

(1) HIPP. Aph. III. 5, 17. GALEN. Comm. de humorib. p. 412. CELS. L. II. c. 1.
(2) HIPP. de aq. et locis §. XIV. ed. CORAY.
(3) HORAT. Serm. II. VI. 18.
(4) OVID. ex Ponto IV. X. 44.
(5) ARISTOT. Meteor. II. c. 6. De mundo c. 4.
(6) Epod. XVI. 54.
(7) ARISTOT. meteor. L. II. c. 5.
(8) Georgic. L. II. v. 330–331.
(9) HIPP. de ration. vict. L. I. p. 354.
(10) ORIBAS. Collect. L. IX. c. 9.
(11) De caus. plantar. II. 7, 5. p. 404.

DE ANNI TEMPORIBUS.

§. 86. Terra nostra, quae cum reliquis corporibus mundi et praecipue cum sole magnum consensum habet (§. 78.), variis inclinationibus ac reclinationibus solis quatuor anni tempora producit (1). Annum autem antiquissimi Graeci in hiemem et aestatem diviserunt; postea autem in hiemem, ver ac aestatem, uti ex AESCHYLO (2), ARISTOPHANE (3) aliisque videndum est, at progressu temporis in quatuor partes, hiemem nimirum, ver, aestatem et autumnum, sicuti HIPPOCRATES diserte dicit (4), quod summus ac celeberrimus L. IDELER gravissimis atque inexpugnabilibus argumentis in classico suo opere demonstravit (5). Anni tempora cum quatuor aetatibus humanis a Pythagoraea schola primo comparata sunt, quod HIPPOCRATES amplexus est (6), ANTYLLUSque auctoritatem magni COI retinuit (7); PLATO etiam dicit Hippocrateos hoc sensu universum cum corpore humano perpetuo composuisse (8). Divisit ANTYLLUS anni tempora singula in duas portiones, videlicet primam, mediam et ultimam; portio media habet εἰλικρινεστάτην τῆς ὥρας κρᾶσιν, prima vero et postrema temporibus sibi vicinis similiores fiunt (9).

§. 87. Anni tempora miseros mortales morbis affligunt, qui acrius in humanum genus saevire solent, uti HIPPOCRATES abunde docet (10). Quaenam vero molestiae ab anni

---

(1) HIPPCR. de ration. vict. L. I. p. 366. GALENUS Comm. I. in I. Epidem. p. 347.

(2) Prometh. v. 453.

(3) Aves, ver. 710.

(4) De aquis et loc. De diaeta L. III. p. 366.

(5) *Handbuch der math. u. tech. Chronologie.* Bd. I. p. 241. *etc.*

(6) HIPP. Aph. III. 18.

(7) ANTYLLI τὰ λείψανα p. 10.

(8) PHAEDRO p. 211.

(9) ANTYLLI τὰ λείψανα p. 10.

(10) Aph. III. 19. conf. GALEN. Comm. in h. l.

temporibus accidant in homines, singulatim nunc exponere operam demus.

Hiems, qui a solis reclinatione oritur, cum radii oblique terram spectant (1), causa est diversorum malorum. Etenim frigus oritur a reclinatione solis (2) et praevalente humiditate magna, quam nebulae in aëre natantes et pluviae per noctem totam et diem accidentes producunt (3), transpirationem cutaneam impedit, unde abundantia phlegmatis, et a phlegmate catarrhi, rheumatismi, auditus gravamina, carebariae oriuntur; inflammationibus pleurae, pulmonum ac pectoris, febribus quotidianis constitutio ista est amica (4). Hieme magis quam aestate est mortalitas, quo quidem vis vitalis ad interiora condensetur concoctioque debilitetur, unde magna congeries humorum generatur, quae corrumpit sanitatem (5).

Ver, cum sol magis magisque ad istam plagam terrae, qua hiems dominabatur, appropinquet, et radiis suis efficit ut reviviscat natura dormiens, unde terrae tument et genitalia semina poscunt, atque omnia generant et augescunt BIONE canente:

Πάντα κύει, πάντ' ἔαρος ἅδεα βλάςει.

multam humiditatem habet propter liquescentes glacies (6); aër frigidus est et catarrhis inflammationibusque

---

(1) GALEN. Comm. I. de natur. human. t. 35. p. 87. Comm. III. de humor. t. 19. p. 430.

(2) Ὁ δὲ χειμὼν πλεῖςον ἔχει τὸ ψυχρὸν, διότι ὁ ἥλιος τοῦ κατὰ κορυφὴν ἡμῶν τόπου πολὺ ἀφίσταται. PROCLUS in Paraphrasi tetrabib. Ptolem. I. 12. pag. 40.

(3) ARISTOT. Meteorol. L. II. 4. GALEN. Comm. II. de humorib. t. 26. p. 291.

(4) HIPP. Aph. III. 23. De natur. hum. p. 226. De affect. p. 517. ARETAEUS de morb. acut. L. I. c. 10. GALEN. Meth. m. ad Glauc. L. I. c. 7. p. 23. C. AUREL. acut. pass. L. II. c. 13. p. 111. CELS. L. II. cap. 1.

(5) ARISTOT. Problem. I. 25. p. 526.

(6) PROCLUS loc. cit. p. 40.

favet, lichenis etiam albugines, sanguinis fluxiones e naso caput suum extollunt ([1]). Abortus frequentissime accidunt, praegresso praesertim hieme pluvioso ([2]). Phthisis quoque semper periculum intendere solet ([3]).

Aestatis tempore sol e diametro fere oppositus est terrae, radiisque suis verticaliter in terram cadentibus caloris vis adaugetur maxime ([4]). Quam ob rem febres ardentes, continuae, tertianae, quartanae, cholera, vomitus, alvi fluxus, ulcera in ore a biliosis sordibus in sanguine commixtis oriuntur ([5]). Corpus totum aestate rarum et resolutum fere est, spiritus seu vis vitalis ad exteriora tendens concoctionem imminuit ([6]).

Autumno tandem, quo solis ad terram positio eadem est ac in vere, caloris intensitas decrescit, plantaeque incipiunt defluere. Siccitas et refrigerium in autumno alternant, unde magna ad morbos dispositio provocatur ([7]), corporaque coguntur ac densantur ([8]); morbi vernalibus similes emergunt; phlegma nempe a quantitate pluviarum et noctium magnitudine augetur ([9]), catarrhi, febres intermittentes, quartanae, erraticae, infarctus viscerum, hydrops, phthisis etc. oriuntur ([10]); morbi utplurimum acu-

([1]) Hipp. Aph. III. 20. VI. 55. De natur. hum. p. 226. Cels. L II. c. 1.

([2]) Hippocr. Aph. III. 12.

([3]) Id. Epidem. L. III. 18. 19. 20. VI. p. 290.

([4]) Galen. Comm. I. de nat. hum t. 35. p. 87. Comm. III. de humor. p. 430. Proclus l. c. p. 40.

([5]) Hippocr. Aph. III. 21. Affect. p. 519. Vict. auct. xxxiv. 2. Aretaeus de c. et sign. morb. acut. L. II. cap. 5. pag. 18. Celsus L. II. cap. 1.

([6]) Aristot. Problem. I. 25. p. 526.

([7]) Plutarch. Symposiac. L. VIII. c. 10. p. 934.

([8]) Hipp. Aph. II. 27. Galen. Comm. III. de humor. p. 432.

([9]) Id. Aph. III. 22. Nat. hum. xxix. 2. Inf. affect. xxxvii. 2. Cels. L. II. c. 1.

([10]) Praedict. III. 3. VI. Epid. VII. 77.

tissimi ac perniciosissimi sunt ([1]), ac phthisicis perniciosus est autumnus ([2]). Ideo autumnum HORATIUS gravem adpellat ([3]), IUVENALISque lethiferum nominat ([4]).

DE ALIMENTORUM NOXA.

§. 88. Vita humana, quae per insitum sibi calorem consumit corpus, neque potest conservare, eget fulcimentis quibusdam, quae istam quotidie sustinere possint ([5]). Fulcimenta ista quanquam vitam conservant, tamen si quantitate et qualitate peccant, morborum imperio corpus tradunt ([6]). Homo alimentum capere debet ut vivat, non ut voluptetur ([7]); nimia ciborum copia morbos producit, sicuti parcior nutrimentorum usus imbecillitatem et κενεαγγείαν provocat ([8]). Nulli morbo incidit homo, si mediocris est in cibo ([9]), egregieque PLATO monet temperantiam custodem vitae esse ([10]). Nimia ciborum quantitate sanguinis copia augetur (§. 38.) atque venae extenduntur ac rumpuntur ([11]). Parciore vero nutrimentorum usu corpus consumitur ([12]) tremoresque oriuntur, uti CARNEADI accidit LAERTIO testante.

([1]) HIPPOCR. Aph. III. 9. Praedict. II. XIII. 4. II. Epid. I. 15. CELS. L. I. c. 3. L. II. c. 1.

([2]) HIPP. Aph. III. 10. Epidem. L. VI. S. VII. p. 1195.

([3]) Satyr. II. 6.

([4]) Satyr. VI.

([5]) GALEN. de sanit. tuend. L. I. c. 7. p. 7.

([6]) Id. de optim. corp. const. c. 3. pag. 742. HIPPOCR. de affect. p. 516. PLUTARCH. Sympos. L. VIII. 9. p. 917.

([7]) STOBAEUS Serm. XVII.

([8]) HIPP. Aphorism. II. 17. Epidem. VII. 17. GALENUS Comm. in h. l.

([9]) Id. de morbis. 10.

([10]) CHARMENIDE. Gorgia.

([11]) PAUL. AEGIN. L. I. c. 32. p. 10.

([12]) ARISTOT. de long. et brev. vitae c. 3.

§. 89. Nutrimentis simplicissimis primi homines consueti erant, atque e quercubus et arbutis victum acceperunt ([1]), minimeque propullulantibus ab istis noxiis suppositi erant; ast luxu magis magisque incipiente in humanum genus dominari, non simplici, quem natura dictat, sed multiplici victui homines inceperunt indulgere et animalia ipsa enecare et ipsis vesci. Crudelis victus, qui ex animalibus paratur, quanquam corpus nutriat, tamen non cunctatur varia mala propter insatietatem humanam infricare. Abusus victus animalis producit plethoram et hominibus carnosis diarrhoeam ([2]), cruditates, quae reliquias post se malas relinqunt, qua ex causa PLUTARCHUS suadet esse optimum, ita corpus adsuescere, ut nullum id carnium requiret esum ([3]).

§. 90. Diversa animalium caro, qua homines nutriuntur, diversas producit in organismo mutationes. Caro animalium quadrupedum largum nutrimentum homini bene valenti largitur ([4]). Caro avium tenerior est et melius quadrat sanitati. Piscium caro deterior est, si ab iis, qui prope lacum mari coniunctum aut magni fluminis ostium pascuntur ([5]), paratur; abusus in esu piscium stupiditatem ac moerorem producit, DIPHILO observante ([6]). Abusus in carne cancrorum, astacorum, helicum, polypodum etc. melancholicum sanguinem ac humores crudos et salsos generat, ad venerem disponit morbosque producit ([7]).

([1]) VIRGIL. Georg. L. I. 8. OVID. Metamorph. I. v. 103. HIPP. de veter. medic. p. 17.

([2]) HIPP. de vict. salub. p. 309.

([3]) De sanitate tuenda p. 499. Tom. VI.

([4]) HIPPOCR. de vict. rat.

([5]) GALEN. Meth. med. L. VIII. c. 2. p. 549.

([6]) STOBAEUS Serm. p. 449.

([7]) GALEN. Meth. m. ad Glauc. L. II. ATHEN. Deipnos. L. VII. c. 101. p. 159.

Aetas animalium magnam symbolam contribuit ad modificandam nutritionem. Caro animalium admodum iuvenum est mucosa, non nutrit et facilius per alvum secedit; caro animalium vetustissimorum durior ac concoctu difficilior est sanitatique non quadrat (¹).

Natura carnium commutatur a locis, quibus animalia degunt; ita locis paludosis animalia viventia pravam carnem habent (²).

§. 91. Modus parandi cibos offendit sanitatem humanam. Carnes enim sale confectae ad nutritionem minus aptae sunt, propter humiditatem a sale resorptam, corpusque exsiccant et alvi fluxum producunt (³). Cocta caro magis sanitati arridet, atque ad concoctionem facilior est Philochoro observante (⁴); assatae vero et frictae carnes siccius nutrimentum suppeditant (⁵). Mutationes multiplices, quas coquorum ars omnibus producit, hominum sanitatem laedit (⁶). Respuendae sunt multiplices ciborum qualitates, cum cachexias corporum ac subversiones stomachorum producant, neque alant, sed inquietent et inquinent; qua ex causa Antiphanes, medicus ex insula Delo, ciborum varietatem inter causas morborum enumeravit (⁷).

§. 92. Homo non tantum ab animalibus nutrimenta, sed etiam e plantis parat (⁸). Victus autem plantaris exiguum sanguinem parat atque in genere humanae naturae non

---

(1) Galen. de alim. facult. L. III. c. 2, 19. p. 663, 701. Meth. med. L. VIII. 2. p. 549. De temperam. L. II. c. 2.

(2) Aristot. Histor. animal. L. VIII. 10.

(3) Hipp. de vict. ration. L. II. p. 360.

(4) Athen. Deipnosoph. L. XIV.

(5) Galen. de alim. facult. L. III.

(6) Seneca Epist. xcv.

(7) Cl. Alexandr. Paedag. L. II. c. 1. p. 163. Senec. Epist. II. Macrob. Saturn. L. VII. 4.

(8) Galen. de dogmat. Hipp. et Platon. L. VIII. c. 4. p. 672.

est utilis ([1]), cum flatus, diarrhoeam, virium debilitatem, choleram etc. producat ([2]). Radices plantarum acres, fungi venenati, qui facilius cum edulibus confundi possunt, fructus horaei, immaturi et austeri etc. calorem vitalem accendunt, animi deliquium, spasmum, gravamina in ore, languorem digestionis etc producunt ([3]).

§. 93. Nocent cibi, qui e plantis parantur, quae corruptae et venenatis rebus interpolatae sunt. Hic inprimis pertinet triticum, quod si putridum et ustum, aut situ repletum, vel rubigine vitiatum fuerit, epidemias putridas, psoriases ac exanthemata varia producit ([4]). Robigine adfectae plantae perniciosum praebent nutrimentum, ut strages truculentae inter populos grassentur. Oritur plantarum ille morbus ab ardore solis post imbrem ([5]) vel humiditate caloreque externo ([6]).

§. 95. Lac optimum nutrimentum est et ad conservandam sanitatem confert ([7]), morbisque thoracis diuturnis et ex tussi ortis, affectionibus renum ac vesicae, cutis exanthematibus etc. quadrat et iuvat ([8]). Immodicus vero lactis usus diarrhoeam ac vomitum generat, renes ad cal-

---

([1]) Id. de facult. natur. L. I. c. 10. p. 22.

([2]) Hipp. Epid. L. VII. p. 1230. Athen. Deipnos. L. II. c. 28. pag. 269.

([3]) Galenus de diff. febr. L. I. c. 4. De aliment. facult. L. II. c. 69. p. 656. Simplic. med. L. VII. c. 24. p. 79. Dioscor. Alexiph. c. 23. p. 33.

([4]) Galen. de diff. febr. L. I. c. 4. p. 285. Comm. II. de natur. hum. t. 3. p. 119.

([5]) Plutarch. de primo frigido p. 735.

([6]) Aristot. Problem. I. 26. p. 526.

([7]) Galenus de sanit. tuend. L. V. c. 7. Plutarch. Symposiac. L. IV. c. 1. p. 623. Plin. Histor. Nat. L. VI. 30.

([8]) Hipp. Aph. V. 64. Galen. Meth. medic. L. V. c. 12. p. 366. L. VII. c. 6. pag. 475. Oribas. Collect. L. II. 61. Aet. Tetrab. I. S. II. cap. 90.

culos dispositos laedit et flatus producit ([1]). Naturam lactis commutant nutrimenta, quibus vescitur animal ([2]); lac enim, quod ex animalibus, quae scammonia, helleboro, mercuriali, clematitide etc. vescuntur, suggilatur ventrem, atque stomachum subvertit, nauseamque producit ([3]).

DE NOXIIS E POTU.

§. 95. Quantum potus in oeconomiam animalem influxum exserat, inde patebit, si de aquae et reliquis potionibus agamus. Aqua, quae inservit ad sitim compescendam, optima est, quando nullam qualitatem neque gustu, neque odoratu offert ([4]). Ast non raro loci, e quibus scaturit aqua, multifarie eam mutant ([5]), sicuti etiam regio coeli et venti ([6]); mutationes autem istae epidemias atque alias molestias producunt ([7]). Pessima est aqua, si stagnat, atque putrida est, cum humores dissolvantur, acrimoniamque induant epidemiasque producant ([8]).

Temperatura aquae symbolam suam contribuit ad morborum generationem. Aquae tepidae usus frequentissimus apud Graecos fuit, uti ARISTOTELES ([9]) aliique veterum monent; immodicus vero eius usus corporis emollitionem,

---

([1]) GALEN. de simplic. medic. L. IV. cap. 17. pag. 678. ORIBAS. Collect. L. II. c. 18.

([2]) HIPP. Epidem. L. VI. Sect. V.

([3]) DIOSCOR. Mat. medic. L. II. c. 75. p. 196. GALEN. de alim. facult. L. III. c. 15. pag. 686. Comm. V. in VI. Epid. t. 35. p. 305. AETIUS Tetrab. I. S. II. c. 87.

([4]) GALEN. de sanit. tuend. L. I. c. 11. p. 56. ORIBAS. Synops. L. IV. c. 4.

([5]) ARISTOT. Meteor. L. II. 3. PLUTARCH. Symposiac. L. VIII. 5. pag. 894.

([6]) HIPP. de aquis et loc. §. LII. ed. CORAY.

([7]) GALEN. Comm. I, in I. Epid. p. 8.

([8]) GALENUS de diff. febr. L. I. cap. 4. Comm. II. de nat. hum. t. 3. p. 119.

([9]) Problem. S. XXIII. 18. Athen. Deipnos. L. III. c. 24.

nervorum incontinentiam, animi hebescentiam et haemorrhagias producit. Aqua vero frigida dolores, spasmos, tetanos, febres cum horrore, dolores dentium ([1]), cardiogmum ([2]) etc. generat.

Mutatio aquae, quae etsi sit bona, molestias quasdam, uti raucedinem, tussim etc. producit ([3]).

§. 96. Inter potus, quos homo invenit, supremum locum tenet vinum, cuius multae species antiqui habuere, uti Tennedium, Lesbium, Eressium, Leucadium, Thassium, Methymneum, Chium etc. ([4]). Vinum, quanquam hominibus exhaustis et decrepitis magno emolumento sit ([5]), tamen maiore quantitate inhaustum nocet non solum macilentis, sed etiam ipsis quoque sanissimis canditatis Bacchi ([6]). Ex immodico vini usu debilitas, apoplexia, carus, coma, paralysis, tetanus, tremores artuum, rigor, delirium, aphonia ([7]), podagra, filia Bacchi et Veneris, uti aptissime LUCIANUS lusit:

Λυσιμελοῦς Βάκχου καὶ Λυσιμελοῦς Ἀφροδίτης
Γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα.

et alia multa mala oriri solent. Immodicus vini usus semen dissolvit, unde foecundationes parum accidunt, defluxum capillorum capitis et canitiem ([8]), maniam ([9]) ac mor-

([1]) HIPP. de liquid. usu p. 425.

([2]) CEDREN. Histor. Tom. II. p. 707.

([3]) ORIBAS. Synops. L. IV. c. 7.

([4]) GALEN. Meth. med. L. XIV. 4. p. 832. ATHEN. Deipn. L. I. p. 28, 29, 31. IV. pag. 137. PLIN. Hist. Nat. L. XIV. 14. STRABO L. XIV. pag. 637, 657. HORAT. Epod. IX. 31. AUL. GELL. Noct. Attic. XIII. 5.

([5]) HOMER. Il. R. VI. ORIBAS. Euporist. L. I. c. 2.

([6]) HOMER. Odys. R. XXI. v. 293. HIPP. de affect. III.

([7]) HIPP. de vet. med. p. 17. De morb. L. II. p. 468. Aph. VII. 7. GALEN. de temper. L. III. c. 2. p. 661.

([8]) PLUTARCH. Symposiac. L. III. 5. pag. 587. MACROB. Saturn. L. VI. c. 6.

([9]) ATHEN. Deipn. L. X. c. 7. Ex abusu vini hispanici PIPIUS

tem ipsam (¹) producit, phantasiam exaltat, corpus gesticulationibus vividioribus incitat, verborumque latitentium confessionem provocat, sicuti divus poëta canit:

Ὅς τ' ἀφέηκε πολύφρονά περ μάλ' ἀείσαι
Καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καί τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκε,
Καί τι ἔπος προέηκεν ὅπερ τ' ἄῤῥητον ἄμεινον (²)

§. 97. Qualitates vinorum variam possident vim ad morbos generandos. Vina vetusta nervos reliquaque sensuum organa laedunt; nova vero inflationes pariunt, aegreque coquuntur, insomnia gravia producunt urinasque cient (³). Vinorum dulcium abusus crassum sanguinem et flatum generat, obdurat viscera (⁴); vina nigra facile in stomacho accescunt (⁵), difficilius coquuntur, tremulentiam faciunt, carnium generationi favent (⁶), melancholicumque humorem generant (⁷).

§. 98. Praeter vinum usus luxuriosus alias quoque potiones introduxit, inter quas eminet cerevisia (ζύθος), quae ex hordeo parabatur. Cerevisiam in Aegypto ortam esse auctorum multi veterum testantur (⁸). Magna quantitate assumpta cerevisia urinarum secretionem magnam provocat, nervos et renes laedit, et praecipue cerebri membranis

---

rex Aquitaniae maniacus evasit (vide Sprengel *Apolog. des Hippocr.* I. Bd. p. 147).

(¹) Hippocr. Aph. V. 5. Morbor. Vol. IV. 16.

(²) Hom. Odyss. XIV. v. 464. Plutarch. de oracul. defectu p. 702. Tom. VII.

(³) Dioscor. Mater. medic. L. V. c. 7. p. 692. ed. Sprengel.

(⁴) Hippocr. de vict. rat. in ac. pap. 71. Oribas. Synops. IV. 2, 21, 23.

(⁵) Oribas. Synops. L. IV. 18.

(⁶) Dioscor. Mat. medic. L. V. c. 8. p. 692.

(⁷) Galen. de loc. affect. L. III. c. 10. p. 184.

(⁸) Diodor. Sic. Biblioth. L. I. c. 24.

noxia est, gignit flatus et elephantiasin facit ([1]); qualitas cerevisiae est acris et calida, vel frigida, aquea et acida ([2]). Parabant veteres potus diversos ex frumentaceis, uti avena (βρόμος), milio (κέγχρῳ) oryza et panico (ἔλυμον), ex arborum et fruticum fructibus et aliis materiis, quae omnes graves molestias producunt.

conf. I. H. Meibomii de cerevisiis potibusque et ebriaminibus extra vinum aliis commentarius. Helmstadii 1668. 4.

DE MEDICAMENTORUM NOXA.

§. 99. Medicamenta, quae morbosum statum vitae mutant atque valetudinem restituunt, non raro in potentias nocentes abeunt, cum perverse adplicantur ([3]). Perverse medicamenta adhibentur, cum larga manu praescribuntur, uti emetica, purgantia etc., quae adynamiam producunt ([4]) atque magnopere sanitatem laedunt ([5]); cum nulla ratio habetur temporis, quo medicamina adhibenda sunt, (sic aestatis tempore theriaca propinata nocet, cum corpus ab atmosphaera, calida iam existente, calidius fiat, quare Hippocrates medicamentorum indicationes ante ortum caniculae et sub eum difficiles esse declaravit, quod quidem tempus febribus faveat) ([6]); cum medici seducti medicamenta praescribunt noxia, qua ex causa auctor iuris iurandi formulam legis contra impostores medicos egregie expressit ([7]);

([1]) Dioscor. Mat. med. L. II. cap. 109. pag. 277. L. IV. c. 11. Plin. Hist. nat. L. XXII. 25.

([2]) Galenus de simplic. medic. facult. L. VI. Oribas. Collect. L. XV. P. Aegin. L. VII. 3. p. 237.

([3]) Galen. Meth. med. ad Glauc. L. I. c. 12. p. 40.

([4]) Hippocr. de morb. L. IV. pag. 506. De purgant. rem. c. 5. Plutarch. de sanit. tuenda p. 402.

([5]) Hipp. de vict. rat. L. II. p. 60.

([6]) Galen. de Theriaca ad Pison. c. 17. p. 285.

([7]) Οὐ-δώσω δὲ οὐδέποτε οὐδὲν φάρμακον αἰτηθεὶς, θανάσιμον οὐδὲν, οὐδὲ ὑφηγή-

ignorantia medicorum, qui, more aleatorum tesseras proiicientium, medicamenta aegrotantibus praescribunt, quae si frustantur maximam aegrotis noxam inferunt (¹) et morbum exasperant, noxia est humanitati ac aegrotus videt et imperito ac glorioso medico adclamat:

Τὸ φάρμακόν σου μείζω τὴν νόσον ποιεῖ (²).

Ab imperitia medicorum in medendo maiora fiunt vulnera, quae melius non tetigisse fuit, ut cum Ovidio loquar, atque saevus eorum dolor amplificatur. Frequentissime occurruut morbi medelae omnis impatientes, quos imperitia medicorum curare studens, magis exasperat et lethales facit. Hanc ob rem scite Euripides dixit: κρεῖσσον δὲ νοσεῖν ἢ θεραπεύειν, quod quidem summus artis nostrae Dictator iam antea hocce acutissimo ac gravissimo effato expressit: ἀγαθὸν ἐνίοτε φάρμακον, τὸ μηδὲν φάρμακον (³). Nihil enim est in medicina tam deleterium, tam perniciosum, quam ignorantia et temeritas, de qua egregie monuit Livius dicens: ,,Temeritas praeter quam quod stulta sit, etiam infelix, et festinatio inprovida est et coeca (⁴)." Nocent medicamenta, si prophylactice adhibentur; medicamenta si ab hominibus caeteroquin sanis propinantur, magnas ac graves noxias producunt (⁵); purgatio sanis corporibus negotiosum est, Antyllo observante (⁶). Medicorum tandem discordia in tradendi sanandique regulis noxia aegrotis evadit, a qua accidit, ut magua aegrotantium caterva intempestive vitam cum morte commutet, recteque Menander canit:

σομαι ξυμβουλίην τοιήνδε οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν φθόριον δώσω. Hippocrates iur. iurant.

(¹) Galen. Comm. II. in I. Epidem. t. 50. p. 149.
(²) Plutarch. de cupid. divit. p. 77. Tom. VIII.
(³) Hipp. de articul. p. 791. ed. Linden.
(⁴) Histor. L. XXII. c. 38.
(⁵) Hipp. Aphor. II. 57.
(⁶) Aetius Tetrab. I. S. III. c. 23.

Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδος μ' ἀπώλεσε.

Inscriptioque: turba se medicorum periisse a PLINIO laudata eundem sensum sapientissime exprimit [1], conf. D. W. TRILLERI Diss. de veritate paradoxi Hippocratici nullam medicinam esse optimam, in eius opuscul. med. Tom. I. pag. 133-172.

DE VENENIS.

§. 100. Medicamentum a veneno differre sagacissimus PERGAMENUS dicit eo, quod venenum tota substantia sua corpori animali inimicum est, ut ab eo tardo aut nullatenus adsimiletur [2]. Divisa sunt venena in acuta et lenta, praesentanea et turminata, debibutoria et tinctilia [3] etc. Venena agunt duplici modo, vel refrigerando mixtionem, vel fabricam destruendo [4]. Efficaciae eorum autem differentes sunt; venena refrigerantia qualitate determinantur, quae si parca sit, aut eliminari, aut a corpore paullatim confici et subigi possunt; corrosiva et putrefacientia nullatenus qualitati subdita sunt, si ab eo non eliminantur [5]. PELOPS actionem venenorum a qualitate aut spirituali substantia derivabat [6]. Venena corporis compaginem resolvunt, paralysin, deliquium animi, carum, apoplexiam, ac mortem ipsam producunt.

conf. IOH. BURUS Diss. inaug. de pharmacologia veterum Graecorum in genere. Halae 1829. 8.

I. E. F. SCHULZE Toxicologia veterum plantas venenatas exhibens. Halae 1768. 4.

---

(1) PLIN. Histor. Natur. L. XXIX. c. 1.

(2) GALEN. de simplic. med. L. III. c. 18. p. 596.

(3) CICERO Orat. cont. Pison. GELL. noct. attic. L. VI. cap. 4. PLIN. Hist. Nat. L. XXXIV. 14.

(4) GALEN. de simplic. L. III. c. 18. p. 596.

(5) GALEN. loc. cit. p. 605, 607.

(6) Id. de loc. affect. L. III. c. 11. p. 195.

DE MOTU.

§. 101. Motus corporis quanquam ad sanitatem confert, sicuti HIPPOCRATES, PLATO et GALENUS monent, tamen si nulla mediocritas in eo servatur, noxius evadit atque sanitatem humanam prosternit aegerrime. Exercitium musculorum neglectum maximum est incommodum ad tuendam sanitatem ([1]), cum calor internus extinguatur, pinguedo corporis oriatur ([2]), humores luxurient ([3]), articuli humectentur ([4]), luxuria libidoque oriatur, quod habitum malum adducit ([5]), tantaque corporis debilitas insurgit, ut a parvo iam motu statim corpus debilitetur ([6]). Immodicum vero exercitium defatigationem producit ([7]), ruptionem vasorum sanguinisque eruptionem causat ([8]), morbos capitis arcessit ([9]) atque innumera alia mala catervatim adducit. Exercitationum aliae sunt internae seu activae, et aliae externae seu passivae ([10]).

§. 102. Ad motum corporis exercitationes pertinent, quibus quotidie homines student panem quotidianum eruere. Exercitationes istae corpora ad morbos proclivia faciunt. Qui enim elevando, stando, corporis prona incurvatione, sedendo, clamando etc. opera sua peragunt, hernias, haemorrhoides, varices, infarctus viscerum, imbecillitatem ven-

---

([1]) Id. de bonis pravisque aliment. succis. c. 3. p. 763.

([2]) Id. de temperam. L. II. c. 4. p. 604.

([3]) Id. de caus. symptom. L. I. c. 5. p. 109. Comm. in Progn. I. text. 9.

([4]) HIPP. Epid. L. VI. S. VI.

([5]) Id. de morb. L. IV. XIIX.

([6]) Id. de vict. ration. L. II. p. 364.

([7]) GALEN. de caus. morb. c. 2. p. 4.

([8]) HIPPOCR. de intern. affect. p. 531. GALEN. utrum medic. an Gymn. est Hygien c. 37. p. 876.

([9]) ARISTOT. Problem. IX. 5.

([10]) GALEN. meth. med. L. II. c. 11. p. 150.

triculi ac oculorum, paralysin, anginam inflammatoriam aliasque miserias patiuntur ([1]).

§. 103. Exercitationes tandem, quae pro delubrio aemulationis et conservandae sanitatis desiderio fiunt, magnum morborum exercitum comitem habent. Certamina enim, quae veteres introduxere, quibus corpora iuvenum firma ad omnia pericula reddebantur, multa bona ac mala procreavere. Si enim in exercitationibus istis nulla mediocritas praevaleat, corpus mirum in modum adaugetur, atque inde aphonia, sensus motusque privatio, nec non apoplexia oritur, vel vasa rumpuntur, haemoptoe exsurgit, facultatesque psychicae ad infimum usque gradum deprimuntur, quam ob rem adagium sequens: παχεῖα γαςὴρ λεπτὸν ὐ ποιεῖ νόον; corpulentis et stolidis hominibus istis decantabatur ([2]). Singularium partium corporis exercitium multorum morborum causa fuit ([3]); pugillatione (πυγμαχία) vulnera ad corporis partes nobiles inferebantur, et deformitates in facie accidebant, quas multi poëtarum epigrammatibus irriserunt ([4]), sculptoresque imitati sunt in sculptorum ectypis ([5]), vel ad pectus ictus inferebantur, qui haemoptoen provocabant ([6]); palaestra autem fracturae, commotiones encephali, exarthremata, rupturae vasorum ac inflammatio pectoris, convelationes partium etc. oriebantur ([7]). Exercitium pe-

([1]) Hippocr. Epidem. L. IV. 13. VI. S. VII. n. 17. 18. Galen. Comm. II. de humor. t. 28. p. 311. Cels. L. I. c. 1. Juven. Sat. X. Aug. Gell. Nect. Att. L. II. c. 9.

([2]) Galen. de parvae pilae exercit. c. 5. p. 909.

([3]) Id. loc. cit. p. 905.

([4]) Anthol. Graec. L. II. epigr. 1, 2, 3, 10, 14. Galen. Hortat. ad artes c. 12. p. 32. Tom. I.

([5]) v. Winckelmann *Geschichte der Kunst des Alterthum's* 2. Bd. *Wien* 1776. 4.

([6]) Galen. Meth. med. L. V. c. 8. p. 338.

([7]) Id. Hortat. ad artes. c. 12. p. 32. De loc. adfect. L. IV. c. 11. p. 288. De venaesect. adv. Erasistr. c. 6. p. 227. Anatom. administr. L. VII. c. 13. p. 632.

dum quanquam humidis corporibus conducit ([1]) atque splenis aegritudine iuvat AETIO ac PLUTARCHO ([2]) testantibus, tamen laboriosum est, carnem refrigerat, nec alimenti reddit capaciorem, convulsionibus ansam dat ([3]), spiritum anhelum atque asthmaticum reddit vasorumque pectoris dirumptionem producit ([4]). Saltus (ἅλμα) vehemens exercitatio, capiti et pectori noxius est, cum caput concutiatur vehementer saltu ac pectus in inclinationibus, atque dorsi inflexionibus comprimantur pulmones nec non vasa rumpuntur ([5]). Praeter certamina quatuor solemnia, alia exercitia, uti umbratilis armorum meditatio (σκιομαχία) ἐκπλεθρίζειν, πιτυλίζειν, vociferatio, quam licet ANTYLLUS ad morborum diversorum curationem, nec non ad vocis ipsius cultum valde aestimatam esse dicit ([6]), tamen ea animum moveri observatum est; dantur etiam et aliae ac diversae exercitationes, quas veteres habuere, atque eas omnes magna cum sagacitate descripsit doctissimus H. MERCURIALIS.

H. MERCURIALIS de arte gymnastica Lib. VI. Venetiis 1601. 4.

I. H. SCHULZE de athletis veterum eorumque diaeta et habitu. Halae 1717. 4.

§. 104. Equitationem (ἱππασία) inter motus corporis passivos in maxima existimatione apud antiquos habitam fuisse PLATO abunde docet ([7]). Equitatio quanquam corpus atque sensus exercet, uti GALENUS ([8]) testatur; tamen

([1]) HIPP. de diaeta Lib. I.
([2]) Vita Demosthen.
([3]) ARISTOT. Problem. X. 9, 39, 36-91.
([4]) GALEN. Meth. med. L. V. c. 2. p. 313.
([5]) Id. Meth. med. L. V. c. 2. p. 313.
([6]) AETIUS Tetrab. I. S. III. c. 5.
([7]) HIPPIA.
([8]) De tuend. sanit. L. II. c. 11.

thoraci est infestissima, Antyllo observante (1), atque inquinum, scroti et perinaei varices (κέδματα), ischiam, podagram, impotentiam ad coitum nec non θηλείαν νόσον (2) producit. Morbus vero ultimus Scythis frequentissimus fuit, uti Hippocrates, Herodotus aliique testantur, atque adhuc hunc morbum apud eosdem Scythas existere enarrationes, quas de Nogayis seu Mangutyis Reinegges (3), Comes Ioanees de Potockius (4), incomparabilis Iulius Klaproth (5) publici iuris fecerunt, abunde docent.

conf. C. G. Starck de νούσῳ θηλείᾳ apud Herodotum. Ienae 1827. 4.

§. 105. Gestatio in navi, seu navigatio, quanquam multis in morbis uti phthisi pulmonum egregium suppeditat adiumentum (6), nauseam ac vomitum producit, utpote cum vim helleboro similem et convertentem habeat, Antyllo observante (7), atque corpus movet et perturbat (8).

DE NOXIS VESTITUS.

§. 106. Homines antiquissimi parum de vestitu curabant, nudique vivebant, aut foliis vel coriis corpus hiberno tempore velabant. Heroicis enim temporibus Graeci nudi utplurimum degebant, neque in pedibus opertaculum gerebant (9). Luce vero culturae sese propagante rationem ves-

(1) Antylli τὰ λείψανα p. 15.

(2) Hipp. de aq. et loc. §. cvii, cxii. p. 100, 106. ed. Coray.

(3) *Allgem. topogr. Beschreibung des Kaucasus etc. herausg. v.* Fr. E. Schröder Th. I. p. 269.

(4) *Histoire primitive des Peuples de la Russie. Petersb.* 1801. 4. pag. 175.

(5) *Reise in den Kaukasus und nach Georgien.* Th. I. p. 283. (*Halle* 1812. 8.).

(6) Plinius Hist. Nat. L. XXXI. c. 1, 6.

(7) Antylli τὰ λείψανα p. 15.

(8) Hippocr. Aph. IV. 14.

(9) Sic Aiax Telamonius nudis pedibus proficiscebatur, uti Philo-

timentorum Graeci inceperunt habere, atque linteis et sericis togis aliisque magno pretio constantibus vestimentis inceperunt uti; inter eos vero praesertim Athenienses vestimentis admodum luxuriosis indulgebant ([1]). Sed missis his rationem aetiologicam vestimentorum consideremus. Vestimenta ipsa corpus non calefaciunt, quippe quae sint frigida, sed calor quem corpus emanat; coarctatur enim calor a vestimentis atque dissipari non relinquitur ([2]). Vestimenta e lino optima sunt et in omni anni tempore geri possunt ([3]); ast si e setis parantur, aestatis tempore sunt suffocantia ([4]) atque amictus e coriis caprarum admodum noxius est ([5]). Noxius est vestimentorum angustorum usus; fasciae, quibus corpus a pueritia iam constringitur, ut gracile fiat, multas noxias ac molestias in sanitatem producit ([6]); fasciae etiam, quibus utuntur medici, si fortiter comprimuntur, dolorem, inflammationem ac necrosin producunt, ab impedito nimirum spiritus vitalis affluxu ([7]), nec non prolapsum oculi, uti Mantia accidit ([8]).

Lectus, qui variis e materiis conficitur, interdum noxas producit sanitati humanae. Luxus enim culcita ex anserum plumis facere damnosus est hominibus nefriticis et calculo-

---

stratus narrat: Τί οὖν οὐκ ἀνυπόδητος βαδίζεις; τί δὲ τῇ γῇ φθονεῖς; λαυτία καὶ σανδάλια καὶ κρηπῖδες καὶ πέδιλα νοσούντων ἐςὶ φορήματα ἢ γερόντων. Epist. 22. p. 922. λαυτία vero legi debet βλαυτία = σανδαλία docte celeberrimo philologo Fr. Osann (*über Sophocles Aias* pag. 58. *Berlin* 1820. 8.) coniiciente.

([1]) vide doctissimi ac cel. A. Böckh *Staatshaushaltung der Athener* Bd. I. p. 115. (*Berlin* 1817. 8.).

([2]) Plutarch. de virtute etc. p. 378. Tom. VI.

([3]) Id. de Iside et Osiride p. 390. Tom. VII.

([4]) Galen. Utrum medic. sit an Gymn. Hygiene c. 18. p. 838.

([5]) Hipp. de morbo sacro p. 302.

([6]) Galen. de caus. morborum e. 7. p. 28.

([7]) Id. Comm. I. Hipp. de fractur. text. 37. pag. 387. De causis morbor. p. 18.

([8]) Id. de fasciis c. 1. p. 770. Tom. XVII. P. I.

sis ([1]), atque aliarum aegritudinum fomes est ([2]). Damnosi sunt lectus cum culcitis lanuginosis plumis confecti; cum tanquam in vastum quendam hiatum incidant corpora, somnusque difficilis est, quod ex utraque corporis parte ipsum cubile alti cuiusdam aggeris ad instar assurgit; cibi non coquuntur, sed potius incenduntur, quod ipsum quidem nutrimentum corrumpit ([3]), corporaque resolvuntur et enervantur ([4]). Lecti duri nervis ingrati ac inimici sunt ([5]). Copergula, quibus dormientes velantur, si sint admodum gravia, oppressionem producunt. Damnosum est febricitantes multis copergulis operire, cum aegroti strangulentur ([6]).

conf. D. W. TRILLERI Clinotechnia medica antiquaria. Francof. 1774. 4.

DE ANIMI PASSIONIBUS.

§. 107. Animi perturbationes Peripatetici rem necessariam consideraverunt adhibito, tamen modo quodam, quem ultra progredi non oportet ([7]). Animi pathemata, quae sunt animi motus praeter rationem et naturam atque impetum exorbitantem ([8]), oriuntur secundum POSSIDONIUM ex irascente et desiderante facultate ([9]). Stoici considerabant τὰ πάθη seu pathemata, uti iudicia prava et imaginationes intem-

---

([1]) ALEX. TRALLIAN. L. IX. c. 4.

([2]) CAEL. AUREL. de morb. acut. L. II. c. 37. p. 161.

([3]) CLEM. ALEXANDR. Paedag. L. II. c. 9. p. 184.

([4]) JOH. CHRYSOSTOM. Homil. XXVI. in Herodiadis salt. pag 317. Tom. VI. Oper.

([5]) ARET. de morb. acut. curat. L. I. c. 1. p. 72.

([6]) GALEN. Comm. I. in libr. de vict. rat. CELS. de med. L. III. cap. 9.

([7]) vide SPRENGEL Pathol. general. L. II. cap. 2. §. 162. pag. 299. (Amst. 1813. 8.).

([8]) GALEN. de Hippocr. et Platon. dogmat. L. IV. c. 2. 367.

([9]) Id. ibid. L. IV. c. 3. p. 377.

perantes, quas imaginatio sustinet, ratio vero adversatur ([1]). Perturbationum animi partitio antiquissima existit illa, quam ZENO Cittieus proposuit, secuudum quam perturbationes animi e duobus opinatis bonis et duobus opinatis malis nascuntur. Ad primam classem pertinent libido, futurorum bonorum laetitia ac praesentia; ad alteram metus et aegritudo ([2]); alii vero veterum animi perturbationes quinque tantum statuerunt, tristitiam, nimirum, iram, iracundiam (θυμὸν), cupidinem et metum ([3]); quibusdam tandem placuit statuere iracundiam, iram, timorem, tristitiam et vehementem cupiditatem ([4]). Perturbationes autem istae ad corpus agentes id deprimunt et exaltant ([5]).

§. 108. Expositis iam divisionibus animi perturbationum, ad earum indagationem accedamus nunc oportet; ast cum perturbationum animi divisiones variae existant, consultum nobis duximus earum tantum effectus enarrare, quae ad pathologiam pertinent, nimirum actiones laetitiae, irae, timoris ac tristitiae.

Laetitia, quae, secundum Stoicos, est opinio recens boni praesentis ([6]), limites naturales transgrediens noxas humanae oeconomiae producit. Animus enim a commotione magna iucundissimarum perceptionum elatus atque corpus minus praeparatum subito et violenter obruens pulsum magnum, rarum et vehementem facit ([7]), animi deliquium atque mortem ipsam producit ([8]).

([1]) SPRENGEL loc. cit.
([2]) CICERO Tuscul. Quaestion. L. IV. c. 6.
([3]) GALEN. Comm. II. ad Hipp. de humorib. t. 30. p. 325.
([4]) Id. de cogn. cur. anim. morb. c. 3. p. 7. Tom. V.
([5]) Id. de dogm. Hipp. et Plat. L. V. c. 2.
([6]) CICERO Tuscul. Quaestion. L. IV. c. 6.
([7]) GALEN. de caus. puls. L. IV. c. 2.
([8]) Id. Meth. medic. L. XII. cap. 5. pag. 841. De med. meth. ad Glauc. L. I. c. 15. p. 48.

Ira, quae est libido puniendi, eius, qui videatur laesisse iniuria ([1]) vim vitalem (πνεῦμα) intendit ([2]), facultatem irrascibilem, quae est in corde, commovet ([3]); qua ex causa oculi fulgent, ora tument, spirat e pectore flamma, strident dentes, clamor ac vociferatio prorumpit ([4]) atque pulsus magnus, vehemens ac celer fit ([5]). Oriuntur ab ira febres acutae, animi deliquium ([6]) et alia mala.

Timor, qui est metus magni mali appropinquentis, Chrysippo monente ([7]) phaenomenis sequentibus insignitur; adest tremor artuum, spiritus difficilis, anxius, cordis palpitatio, pulsus celer, debilis, parvus, tardus, inordinatus, inaequalis, cutis pallida, a sanguinis ad interna repulsione, quare divinus poëta timorem pallidum appellavit ([8]), aut a pneumatis quiete originem suam petens ([9]); adest praeterea sphincterum resolutio, alvi fluxus etc. ([10]). Timor minuit robur virium ac mortem ipsam producit ([11]).

Tristitia, quae per ingratum quendam sensum, animum deiectum designat ([12]), vitam sensiferam admodum adficit, ut eius functiones hebescant. E tristitia augetur

---

([1]) Cicero Tuscul. Quaest. L. IV. c. 9.

([2]) Cassius Quaest. natur. c. 49. p. 46.

([3]) Galen. de diff. febr. L. I. c. 4. p. 283. Comm. I. ad Hipp. de humor. t. 18. p. 174.

([4]) Plútarch. de ira cohibenda pag. 790. Tom. VII. Ovid. Art. amand. L. III. v. 503. Metamorph. VIII. 356.

([5]) Galen. de caus. puls. L. IV. c. 2.

([6]) Id. de med. m. ad Glauc. L. 1. c. 2. p. 6., c. 15. p. 48., de tuend. sanit. L. VI. c. 3. p. 398.

([7]) Id. de dogm. Hipp. et Plat. L. IV. c. 2.

([8]) Hom. Il. R. xiv.

([9]) Cassius loc. cit.

([10]) Galen. de sanit. tuend. L. III. c. 12. pag. 225. De Hipp. et Plat. Dogm. L. II. c. 8. p. 276. Comm. I. de humorib. t. 1. pag. 9. Homer. Il. R. xiii. v. 278. X. 375. Hipp. Epid. L. VII. n. 3.

([11]) Id. de rigore etc. c. 5. p. 587. de loc. adfectis L. V. c. 1. p. 301.

([12]) Cicero Tuscul. Quaest. L. IV. c. 8.

bilis secretio, atque vomitus biliosus, diarrhoeaque biliosa oritur ([1]), febres acutae exscandescunt, animi deliquium, tabes corporis ac mors ipsa caput suum extollunt ([2]).

EXCESSUS SOMNI AC VIGILIARUM.

§. 109. Motus, labores diuturni et rerum externarum ad corpus humanum influxus vires corporis consumunt, atque ad quietem conducunt. Reclinante enim die reclinant et corporis vires, quas refocilare somnum, gelidam mortis imagiuem, a natura concessum est, qui

— — — corda diurnis
Fessa ministeriis mulcet reparatque labori ([3]).

Somnus, cui dei maiestas attributa est ([4]), atque arae structae sunt ([5]), fit secundum HIPPOCRATEM ([6]), ARISTOTELEM ([7]) et GALENUM ([8]) calore ad interiora corporis cum sanguine fugiente. ASCLEPIADES vero a spiritus sensibilis crassificatione somnum oriri pronunciavit ([9]). Adferunt somnum praeter labores quotidianos musica, tibiarum exercitatio, lyrae cantus aut citharae ([10]), fletus, uti venuste poëta canit:

Facilis lacrymis irrepere somnus,

atque aliae causae. Somnus placidus nutritionem auget ([11]),

---

([1]) GALEN. de Hipp. et Plat. dogmat. L. II. c. 8. p. 276. de humoribus p. 488. Tom. XIX.

([2]) Id. de med. meth. ad Glauc. L. I. c. 2. p. 6., c. 15. pag. 48. de composit. medic. per gen. L. II. cap. 1. pag. 459. PLUTARCH. de consolat. ad Apollon. p. 388. Tom. VI.

([3]) OVID. Metamorph. XI. v. 624.

([4]) HOMER. Il. R. XII. 233. OVID. Metamorph. II. f. 2.

([5]) PAUSAN. L. II. p. 74. Βωμὸς ἐςὶν ἀρχαῖος, ἐπὶ δὲ αὐτῷ ὕπνῳ θύουσιν.

([6]) Epidem. L. VI. S. IV.

([7]) Histor. animal. L. III. c. 18.

([8]) De pulsibus L. III. c. 7.

([9]) CAEL. AUREL. p. 45. conf. GUMPERT. Asclepiad. fragm. p. 79.

([10]) ARET. de cur. acut. morb. L. I. c. 1. HORAT. III. 1.

([11]) HIPP. Epidem. L. VII. S. V.

tonum musculis suppeditat, pacat spes (1), morbis lenimen adfert; quare a SOPHOCLE ὕπνος ἰατρὸς, et ab EURIPIDE φίλον ὕπνου θέλγητρον ἐπίκουρον νόσου adpellatur. Immodico somno languescit sensuum et musculorum vis, animaque ab exsuperante pituita et pinguedine stupida redditur (2), spiritus animalis humidior fit (3), mania (4), coecitas, apoplexia atque fatuitas oritur (5). Quam ob rem divus HOMERUS iis, qui res publicas administrant, somnum multum interdicit (6), PLATOque, immortalis ille philosophus, tantum somni homini tribuit, quantum ad sanitatem pertinet (7). Unde patet, quam necessarium est, quod HIPPOCRATES pronunciavit, semper servandam esse rationem quandam inter somnum et vigiliam, quia aliter homo morbis succumbit (8).

Si vero somnus, qui iusto tempore veniens denegatur et homo vigilat, corpus extenuatur atque emaciatur, tremores, delirium, febris simplex etc. prorumpunt (9), potus et cibus non coquitur atque apepsiae mala propullulant (10).

Tempus vero, quo somnus capiendus est, nox est, uti divus SENEX dicit: τὴν μὲν ἡμέρην ἐγρηγορέναι χρὴ, τὴν δὲ

---

(1) TERTULLIAN. de anim. c. 48.

(2) HIPP. de vict. ration. L. II. X. PLATO de Republic. L. III.

(3) Ὕπνοι ὑγρότερον μὲν ἡμῶν ποιῶσι τὸ ψυχικὸν πνεῦμα. ACTUAR. de spir. anim. II. p. 124.

(4) CAEL. AUREL. pag. 5.

(5) PLIN. Histor. natur. L. VII. c. 50. Exempla aliqua stupiditatis e nimis protracto somno, vide in H. BOERHAAVE praelection. Tom. IV. p. 512.

(6) Iliad. R. III.

(7) De republica L. III.

(8) HIPP. Aph. II. 3. VII. 71.

(9) GALEN. de sanit. tuend. L. I. c. 8. p. 40. L. III. c. 12. p. 225. Ad Glauc. med. m. L. I. cap. 2. pag. 6. Comm. I. in Prorrhet. t. 9. p. 533. CELS. de medic. L. I. c. 3.

(10) HIPP. de vict. in acut.

νύκτα καθεύδειν (1). Si vero contrarium accidit, corporis pallor oritur, flatusque evolvuntur (2) atque hydrops leucophlegmatias corpus humanum inundat (3). Perversa consuetudo noctu vigilandi, interdiu autem stertendi, Romae solemnis fuit (4)!

§. 110. Emensus sum nunc synoptice, quae antiquitas de causis morborum posteritati tradidit. Innumerae enim sunt causae, quae externe et interne miserorum incautorumque mortalium corporibus insidias struunt, quae improvisae atque inexpectatae humanam physin adoriuntur atque innumeras clades producunt, quas vix fert animus exponere. Ast eheu! tam misera fluxa ac caduca est natura humana, quae semper sub ictu ferali trepidat.

(1) Prognostic. p. 390.
(2) Paul. Aegin. L. I. c. 97.
(3) Id. L. III. c. 48. p. 106.
(4) Tacit. Annal. L. XVI. 18.

LIBER III.
DE SYMPTOMATIBUS.

DE SYMPTOMATE IN GENERE.

§. 111. Symptomatum doctrina, quam Coa schola diligentius colere incepit (§. 7.), perfectionis gradum sub auspiciis Galeni assecuta est. Galenus, qui symptoma adpellavit omne id, quod praeter naturam accidit ([1]), discrimen symptomatis a *συμβεβηκότι* statuere conatus est; *συμβεβηκὸς*, seu accidens, est quod sanorum constitutionem sequitur, quod vero aegrotantium, symptoma est ([2]). Methodici discrimen dictum non cognoverunt, cum omne quod in corpore humano accidit *σύμπτωμα* appellaverint, quod merito a Galeno carpitur ([3]).

Symptomata vario modo considerantur, quae enim necessario corpori sequuntur, *παθογνωμονικὰ* appellantur; quae autem non necessario *ἐνδεικτικὰ* audiunt, atque rationes, quibus aeger exponitur, sub morbo nobis indicant ([4]).

Divisa sunt symptomata a Galeno triplici modo; 1mo in iis, quae facultatibus laesis accidunt; 2do quae in habitu corporis, et 3^{tio} in iis, quae secretorum *ἀμετρία* con-

---

([1]) *Σύμπτωμα μὲν γὰρ εἶναι πᾶν ὅπερ ἂν συμβεβήκει τῷ ζώῳ παρὰ φύσιν.* Galen. de different. symptomat. c. 1. p. 51.

([2]) Galen. Meth. med. L. 1. c. 9. p. 70.

([3]) De optima secta.

([4]) *Ὅσα μὲν οὖν ἐξ ἀνάγκης ἕπεται τῷ σώματι συμπτώματα παθογνωμονικὰ προσαγορεύονται.... ὅσα δὲ οὐκ ἐξ ἀνάγκης ἤτοι τῆς διαφορᾶς ἐστὶ τοῦ νοσήματος ἢ τοῦ ἤθους ἢ τοῦ μεγέθους ἐνδεικτικά.* Galen. de const. med. c. 14. p. 273.

siderantur [1]. Divisionem hanc sequentes, quae de symptomatologia dixere veteres, summatim exponemus temporis et spatii brevis semper rationem habentes.

SECTIO I.

DE SYMPTOMATIBUS FUNCTIONUM LAESARUM.

§. 112. Functiones naturales a Galeno in duas generales classes divisas esse compertum habemus e documentis antiquitatis. Prima classis continet functiones, quae ad vitam animalem pertinent, quae triplici modo divisae sunt, in iis quae sensui, directioni et motui inserviunt. Classis autem altera enumerat functiones vitae plasticae, cuius plurimae sunt atque ventriculus, iecur etc. principium habent [2]. Hanc autem divisionem salvam esse, etsi a multis recentioribus vituperatur, Grunerus testatur [3].

CLASSIS I.

Cap. I. DE SYMPTOMATIBUS FACULTATIS SENSITIVAE.

§. 113. Functiones facultatis sensitivae sunt visus, auditus, olfactus, gustus et tactus [4]. In istis functionibus varia accidunt symptomata. Triplex autem est symptomatum differentia in facultate sensitiva; una nimirum cum

---

[1] *Τῶν συμπτωμάτων δὲ τὸ γένος εἰς τρεῖς τέμνεται διαφορὰς τὴν βλάβην τῶν ἐνεργειῶν, τὰ συμβεβηκότα τοῖς σώμασι, τὰς τῶν ἐκκρινομένων ἀμετρίας.* Galenus de const. med. c. 14. p. 273. conf. de sympt. differ. c. 2. p. 52. de caus. symptom. L. I. c. 1. p. 85.

[2] Galen. de diff. symptom. c. 3. p. 55. De caus. sympt. L. I. c. 1. p. 85. De curand. ration. per venaesect. c. 3. p. 276. Histor. Philosoph. c. 9. Meth. med. L. IX. c. 10.

[3] Semiotice p. 26.

[4] Galen. de different. sympt. c. 3. p. 55.

ipsum organon male adfectum sit; altera cum sentiendi facultas; tertia, cum partium ad usum aliquem primi sensus organi inservientium quaepiam male habeat, GALENO auctore (¹). His vero praemissis symptomata, quae singula functione accidunt, nunc exponemus.

SYMPTOMATA VISUS.

§. 114. Oculus, cuius actio maximum opus est PLATONE monente (²) symptomata magni momenti medico suppeditat. Nexus enim, qui inter corpus et animam viget, per oculum exprimitur, uti HIPPOCRATIS effatum docet (³); recteque animi fenestram oculum esse quidam pronunciavit (⁴). Ut autem accuratius exponamus oculi symptomata, ab externa eius structura incipimus.

Palpebrae, quae ad muniendum oculum ab externis iniuriis destinatae sunt (⁵), symptomata varia praebent inprimis in motu. In motu palpebrarum symptomata sequentia observantur; aut penitus concluduntur, quod est malum symptoma, cum musculi levatores imbecillitate adfecti sint (⁶); aut semiapertae dormientibus sunt, quod ὑπόφασις audit (⁷). Semiapertarum palpebrarum symptoma proveniens non a praegressis evacuationibus, lethale est propter summum virium affectum (⁸). Symptoma hoc epilepticis accidit (⁹). Palpebrae non raro circumtenduntur

(¹) Id. de caus. symptom. L. I. c. 1. p. 86.
(²) Timaeo p. 337. ed. Bipont.
(³) Epidem. L. II. p. 809.
(⁴) PALLADIUS Comm. ad Hipp. Epid. L. VI. S. IV.
(⁵) GALEN. de usu part. L. X. c. 6. p. 790. CICERO de nat. deor. L. II. c. 5.
(⁶) HIPP. Praedic. I. 84. GALEN. Comm. in h. l. p. 675.
(⁷) vide FOESII Oeconom. Hippocr. v. ὑπόφασις.
(⁸) HIPP. Aph. VI. 52. GALEN. Comm. ib. CELS. L. II. c. 8.
(⁹) ARET. de morb. acut. L. I. c. 5. p. 2.

(περιτείνεται) ([1]), aut pervertuntur (βλεφαρίδων καμπυλότης), atque malum morbi signum sistunt ([2]).

Cornea, cuius naturam ARISTOTELES optime descripsit ([3]), interdum corrugata et obscura apparet, quod ab inopia spiritus inter corneam et humoris crystallini spatium exortum derivat GALENUS ([4]). Crassior, aut densior, aut humidior ad partem, quae pupillam spectat, fit, atque amblyopiam producit ([5]); humidior atque densior cornea evadens caliginem, nebulam, vel halitum quenpiam, vel fumum in ea cerni efficit ([6]).

Pupilla vero aut coarctatur et imminuitur aut dilatatur. Coarctatio pupillae (φθίσις, κόρη μικρά) a sanguine inundante, defectu liquoris aut spiritus propter relaxatam uveam, imbecillitatem senilem etc. oritur ([7]). Dilatationis vero pupillae causa est imbecillitas ([8]).

Lens crystallina, quam bene GALENUS taxat ([9]), visus primum instrumentum est ([10]), immodice concreta γλαύκωσιν producit ([11]). Glaucoma autem statu senili frequentissimum est, cum aetas haec ad siccitatem magis proclivis sit ([12]). Si autem inter uveam et crystallinum humorem aqua coagulata nascitur, quae spiritum visibilem exire prohibet, cataractam producit ([13]). Hanc vero

---

([1]) HIPPOCR. Epidem. L. VI. t. 22.
([2]) Coac. praen. 8. 6. Progn. II. CELS. L. II. 6.
([3]) De generat. animal. L. V. c. 1.
([4]) De usu part. L. X. c. 9. p. 783.
([5]) Id. de caus. sympt. L. I. c. 2. p. 98.
([6]) Id. loc. cit. p. 99.
([7]) HIPP. de loc. in hom. GALEN. de usu part. L. X. c. 5. p. 784.
([8]) CELS. de medic. L. VI. c. 6.
([9]) De oculo c. 2.
([10]) Id. de usu partium L. X. c. 1, p. 760.
([11]) Id. de usu partium L. X. c. 1, 6. p. 761, 786.
([12]) ARISTOT. de generat. animal. L. V. c. 1. HOMERUM glaucamate laborasse suspicatus est WALLROTH Syntagma etc. p. 168.
([13]) GALEN. de ocul. c. 12.

opinionem diu explosam nuper denuo recoxit M. G. PLAGGE ([1]).

Corpus vitreum, quod quidem a CELSO cum lente crystallina commutatur, a GALENO tamen accuratius describitur et distinguitur ([2]), quoad qualitatem et quantitatem conturbatur; quantitate eius adaucta et adfecta visus obscuratur et imminuitur; si vero crassitiem aliquam humor iste adtingerit, visus supprimitur ([3]).

Visus perversus oculi (παρόρασις) adest, dum aegroti conqueruntur de rebus, quae extra oculum non existunt. Interdum vident homines caliginem aut scintillas, quae a vaporibus in oculo sublatis oriuntur, atque symptoma haemorrhagiae narium aut vomitus sistunt ([4]). Visum perversum producunt humores, si in colore alienati sint; ictero laborantes pallida omnia videre putant; qui vero hypospagma patiuntur, rubras vident res omnes ([5]).

Motus oculorum varius est. Etenim oculi fixi, strabones, contorti observantur; fixitas oculorum a paralysi provenit ([6]); oculi strabones resolutionem totalem aut partialem musculorum vel eorum convulsionem indicant ([7]), oculi contorti symptoma phrenitidis sunt atque vitam internam male affectam esse indicant ([8]). Adspectus autem oculorum si sit plenus, vividus, serenus oculum bene valentem indicat, si vero contraria dictis in eo observantur, symptoma lethale est ([9]).

([1]) vide MECKEL's *deutsches Archiv f. die Physiolog.* V. p. 97. VII. p. 213. conf. KÜHN Opuscula acad. med. phil. Tom. II. p. 333.

([2]) De usu partium L. X. c. 1.

([3]) GALEN. de oculo c. 2.

([4]) GALEN. de loc. affect. L. I. c. 2. p. 20.

([5]) Id. de caus. symptom. L. I. c. 2. p. 99.

([6]) Id de oculo.

([7]) Id. de caus. symptom. L. II. c. 2. p. 150. defin. med. p. 436. P. AEGIN. L. III. c. 22. p. 77.

([8]) HIPP. Aph. IV. 29. Epidem. L. III. S. II.

([9]) Coac. praenot. 218, 225. Praedict. I. 45.

conf. F. W. WALROTH. Syntagma de ophthalmologia veterum specim. medic. philol. Halae 1818. 8.

SYMPTOMATA AUDITUS.

§. 115. Auditus, qui secundum PYTHAGORAM a calido vapore fit, secundum ALCMAEONEM autem a loco vacuo, qui in penetralibus aurium cernitur et ab aëris vibrantis pulsu concussus edit sonum (¹), symptomata sequentia exhibet; sensatio nimia, quae levissimos sonos reformidat; symptoma hoc in phreniticis observatur (²). Gravissimum symptoma est surditas, quae a deficiente spiritus animalis affluxu et distributione provenit; non raro cophoseos causae sunt inflammatio, vitia organica, humor quidam in meatibus obstans, apostema, scirrhus, oedema, tophus, magnus sonus etc. (³). Cophosis in febribus est symptomatica atque e momentanea auditus obstructione oritur (⁴), in febre continua corpore iam debili existente surditas symptoma est lethale (⁵). Aliud etiam symptoma in auditu observatur, dum homines perverse audiunt (παράκουσις) (⁶).

Susurrus aurium oritur ab exquisita sensus audiendi subtilitate, flatuosis spiritibus, qui in ipso cerebro gene-

---

(¹) PLUTARCH. de placid. Philosoph. L. IV. c. 16.

(²) ARETAEUS de morb. acut. L. I. c. 1.

(³) GALEN. Comm. I. in Prorrhet. I. 32. p. 577. Comm. II. de humor. t. 2. p. 223. De causis symptom. L. I. c. 3, 6. p. 103, 117. ORIBAS. de loc. adfect. L. IV. c. 34. BASILIUS MAGN. Homil. XIV. in Ebriet. p. 423. Tom. I.

(⁴) GALEN. Comm. in Aph. IV. 28. p. 693.

(⁵) HIPP. Aphor. IV. 49.

(⁶) GALEN. de caus. symptom. L. I. c. 4. p. 105. Perversi auditus exemplum mentionem facit HORATIUS de homine aliquo, qui in vacuo Theatro proficiscebatur, ut Tragoedos audiret. (Epistol. II. 2. v. 128). Talia multa exempla collexit TH. KORTUM *Beiträge zur practisch. Arzneiwissenschaft* p. 272. *Götting.* 1776. 8.

rantur, vel e ventriculo sursum efferuntur ([1]). Assiduus aurium susurrus delirium aut solutionem naris indicat ([2]). In longis vero morbis, aut ante morbos, gravem morbum esse pronunciat et saepe apoplexiam, epilepsiam ac oblivionem provocat ([3]).

SYMPTOMATA OLFACTUS.

§. 116. Olfactus, cuius sensorium sunt priores ventriculi cerebri ([4]), fit per inspirationem Galeno docente ([5]), cui Physiologi recentiores consentiunt ([6]). In sensu illo non raro observatur obtusio, quae ab intemperie in membranis narium affluente, vel e laesa distributione spiritus in nervis olfactoriis, vel ab excrescentia quadam in meatu narium prorumpente, vel ab obstructione meatuum ossis ethmoidei oritur ([7]). Observatur etiam in olfactu sensatio perversa, cum aegroti de rebus grave olentibus conqueruntur, aut de qualitate quadam odorum, nulla re odorante existente, loquuntur ([8]).

SYMPTOMATA GUSTUS.

§. 117. In sensu, quo qualitates rerum percipimus, symptomata observantur, quae bifariam dividuntur, gustus

([1]) Galen. de composit. med. s. loc. L. III. c. 1. p. 642. Nonus de curat. morb. c. 89.

([2]) Coac. praenot. I. S. II. 7.

([3]) Coac. praenot. t. 161.

([4]) Galenus de loc. adfect. L. III. c. 15. p. 215. Comm. II. de humor. t. 1. p. 214. de caus symptom. L. I. c. 4. p. 104. de organo odoratus.

([5]) De organo odoratus p. 858. de usu part. L. VIII. c. 7. p. 654.

([6]) Haller Elementa Physiologiae Tom. V. pag. 173. Autenrieth (Reil's *Archiv* Bd. IX. pag. 378). Rudolphi's *Physiologie* 2. Bd. I. Abth. p. 115.

([7]) Galen. de caus. symptom. L. I. c. 4. p. 106. de loc. adfect. L. III. c. 15. p. 214.

([8]) Id. Comm. I. in Hipp. Praedict. I. 27. p. 566.

aut imminuitur aut depravatur; depravatus est gustus, cum referta extraneo quopiam humore lingua, omnia, quae gustantur, aut salsa aut amara, aut alio quopiam alieno sapore praedita videantur (1). Stupore non raro obruitur gustus, ut nulla perceptio rerum in lingua fiat, a succis acerbis, lacerantibus etc. oriens (2).

SYMPTOMATA TACTUS.

§. 118. Sensus iste latissime per corpus diffusus duplici modo laeditur; imminuitur nempe, unde stupor vel plane aboletur. Stuporis causa est spiritus vitiatus, vel laesio organorum sensum ad encephalon deportantium (3). Stupor in dentibus ac ore (αἱμωδία) oritur ab acidis et acerbis cibis (4). Maior autem gradus stuporis torpedo (νάρκη) est, quae per totum corpus et praecipue in membris extenditur, atque a frigore, compressione nervorum, contactu torpedinis marinae, vita sedentaria, ciborum crassorum vel lentorum abundantia, consuetae alicuius evacuationis (5) suppressione, vulnere cerebri (6) oritur. Maior autem gradus torpedinis paralysin (παράλυσιν) producit, quae si in omnes incidat nervos, illico totum corpus sensu motuque privat ac mortem celerem respirationis privatione infert, Galeno observante (7). Pravus quidam sensus in tactu observatur, cum aegroti de frigoris, vel caloris, vel ponderis gravi sensu conqueruntur (8).

---

(1) Id. de caus. sympt. L. I. c. 4. p. 105.

(2) Lucret. de rer. natur. L. IV.

(3) Galen. Comm. II. Prorrhet. t. 36.

(4) Id. de caus. symptom. L. I. c. 5. p. 108. Hippocr. de intern. affect. p. 534.

(5) Galen. de loc. affect. L. II. c. 2. p. 72. de caus. symptom. L. I. c. 5. p. 109.

(6) Hipp. Aph. VII. 14.

(7) Galen. de caus. symptom. L. I. c. 5. p. 111.

(8) Id. Comm. I. in Praedict. I. t. 27. p. 566.

§. 119. Inter symptomata tactus GALENUS dolorem numerat, qui quanquam in omnibus reliquis sensibus observatur atque iis ab externis propriis sensibilibus incidit, tamen tactu ab externis et multo magis ab internis corporis affectibus incidit [1]. Est autem dolor sensus molestus [2], cuius causam HIPPOCRATES [3], PLATO [4] et ARISTOTELES [5] in violenta ac repenti alteratione tactus statuunt. GALENUS intemperiem et continui solutionem, quae repente atque cum violentia fit, dolorem producere testatur [6]. ARCHIGENES variam causarum rationem et varietatem partium affectarum considerans, denominationes dolorum subtiles et superfluas statuit; ita dolor tractorius (ὅλκιμος) ab austero (αὐϛηρῷ) differt; pruriens (γλυκὺς) a lubricoso (γλίσχρος); acutissimus (ἰσχνῶς ὀξυς) ab adstringente (στύφοντι); cruciatus (ἀτειρέα) a curvatorio (ἀγκύλος). Dolorum vero qualitates has partium affectarum diagnosticum signum praebere opinatus est ARCHIGENES [7]. Oriuntur a dolore spasmi, humorum congestio, pervigilium, anxietas, tristitia, animi deliquium, nervorum stupor, abscessus etc. [8]. Dolor ante morbum situm eius [9], post morbum vero, metastasin indicat [10]. Pessimi dolores sunt, si cum febre continua et

---

(1) De differ. symptomatum c. 3. p. 57.

(2) Id. de loc. affect. L. II. c. 2. p. 71.

(3) De loc. in homin.

(4) Τὸ παρὰ φύσιν καὶ βίαιον γιγνομένον ἀθρόον παρ' ἡμῖν πάθος ἀλγεινόν. PLATO Timaeo.

(5) De animal. L. II. c. 12., L. III. c. 2.

(6) Meth. med. L. XII. c. 7. p. 853. de loc. adfect. L. II. c. 5. p. 79. Simplic. medic. facult. L. IV. c. 2. p. 623. de caus. sympt. L. I. c. 6. p. 115.

(7) GALEN. de loc. adfect. L. II. c. 6. p. 87.

(8) HIPP. Aph. VII. 22. GALEN. Comm. in h. l.

(9) HIPPOCR. Aph. IV. 33.

(10) HIPPOCR. Aph. IV. 32.

signis gravissimis urgent ([1]), ex. gr. delirio, defectione animi, aestu etc. ([2]).

Pruritus (κνησμὸς) ad dolorem relatus est a GALENO ([3]), qui oritur ab humoribus in cute vel subdita illi parte impactis; frequentissimus est pruritus iis, qui cruditate laborant, vitiosis cibis nutriuntur, sorditi sunt neque levantur ([4]).

DE SYMPTOMATIBUS SOMNI.

§. 120. Inter facultatis sensitivae symptomata et ea, quae somnus producit, referuntur ([5]). Somnus frequenter in morbis est indicium status internae constitutionis. Fluidum enim nerveum, quod a cerebro, daedalea illa mentis ac ingenii officina, emanans somnum facit ([6]), turbatum in quantitate et qualitate diversa producit symptomata.

Fluidum nerveum si multa humiditate et frigiditate agravatum fuerit, coma (κῶμα) producit ([7]). Comatis duo dantur species, coma somnolentum (ὑπνῶδες) nempe, et coma vigil (ἄγρυπνον). Somnolentum est coma, si aeger diuturno ac profundo premitur somno, quod a pituita cum flava bile coniuncta oritur ([8]). Coma vigil est, quando aegri apertis oculis vigilare nequeunt, sed spei dormiendi connivent, vigiles tamen permanent ([9]).

Contrarium symptomati commemorato observatur quod pervigilium (ἀγρυπνία) audit. Pervigilium in neonatis ([1])

([1]) Id. Epidem III. S. I. aegr. 2. Coac. praen. §. 1.
([2]) Id. Aphor. VII. 26.
([3]) De different. symptom. c. 3. p. 58.
([4]) vide GORRAEI defin. medic. v. κνησμός.
([5]) GALEN. de differ. symptom. c. 3. p. 58.
([6]) GALEN. de caus. symptom. L. I. c. 8. p. 139.
([7]) Id. loc. cit. p. 143.
([8]) Id. Comm. III. in Hipp. Epid. L. III. t. 64.
([9]) vide FOESII Oeconom. Hipp. v. κῶμα.

ac senilibus [2] observatur; oriuntur a pervigilio melancholia [1], ciborum mala concoctio, lassitudo corporis, mentis tristitia et opportunitas ad alienationem [4] (§. 109.).

§. 121. Somnus non raro turbatur ab insomniis. Insomnium est imaginatio, quae a motu sensationum oritur [5]. Insomnia a causis internis oriri CLAUDIANUS canit:

> Omnia, quae sensu volvuntur, vota diurno
> Tempore nocturno reddit amica quies!

PYTHAGORAS insomnia ab atomis oriri opinatus est [6]. Turbulenta insomnia, in quibus aegri expavescunt, spiritus motum atque agitationem indicant [7].

§. 122. Somnus turbatur a phantasia quadam repentinae oppressionis, quod incubus (πνιγαλίων, ἐφιάλτης, ἐπιβολή) audit. Incubum pro Daemone multi habuere, quibus optime SORANUS [8] atque POSIDONIUS contradixere. Symptoma hoc est praeludium insaniae, apoplexiae et epilepsiae [9]. Incubo vexati interdum vitae ipsum periculum adeunt [10].

CAP. II. DE SYMPTOMATIBUS FACULTATIS RECTRICIS.

§. 123. Facultas, quae hominem regit et dirigit, ad omnes actiones aberrat a legitima ac naturali norma. Aberratio facultatis illius consistit in imaginatione, ratione et memoria.

---

(1) HIPP. Aphoris. III. 24.
(2) HIPP. Aphor. III. 31.
(3) GALEN. de loc. affect. L. III. c. 10. p. 183.
(4) ARET. de cur. morb. diut. L. I. c. 3. p. 119.
(5) Ἐνύπνιον ἐστὶ φάντασμα τὸ ἀπὸ τῆς κινήσεως. ARIST. de insom. c. 3.
(6) PLUTARCH. de placid. philos. L. IV. 7.
(7) vide P. ALPINI de praesag. vita et morte L. II. c. 5. p. 93.
(8) C. AURELIAN. Morbor. chronic. L. I. c. 3. p. 289.
(9) P. AEGINETA L. III. c. 15. p. 66.
(10) SCRIBON. LARG. Composit. medic. c. XXIII. p. 61.

Imaginatio a norma abludens carum et catalepsin vel delirium producit ([1]). Carum producunt humores crassi, viscidi et frigidi ([2]). Catalepsis est sensuum oppressio, quam PRAXAGORAS passionem (κωματώδης), DIOCLES ἀφωνίαν, ANTIGENES Cheophantinus ἀναυδίαν vocavit. Catalepsin MAGNUS, AGATHINUS descripserunt, et inprimis ARCHIGENES fuit, qui passionem illam plurimum a caeteris discernendo separavit ([3]). Imaginatio vividior evadens delirium producit, quod et in ratiocinando accidit, GALENO testante ([4]).

Ratio triplici modo aberrat a norma: in amentiam (ἄνοια) nempe, stupiditatem (μωρία) et delirium (παραφροσύνη) ([5]). Amentia, quae est adfectio animae lumine mentis carentis CICERONE observante, oritur ab humorum pravitate ([6]), cerebri mala conformatione, rebus intense refrigerantibus etc. ([7]). Stupiditas, quae est infima motio facultatis ratiocinatricis, sub qua homines neque pure imaginantur, neque probe memorantur ([8]), a conformatione mala cerebri, humore pituitoso in cerebro collecto, metastasibus, laboribus nimiis, aëre crasso, qualis in Boeotia fuit, oritur, atque hebes, mancas obscurasque rerum imagines profert ([9]). Delirium ab aestu, insolatione, violento animi motu, humorum intemperie, phlegmone erysipelatosa, vitio cerebri et partium adiacentium, ictu, plaga in capite accepta etc. originem suam petit ([10]). Notatur deli-

([1]) GALEN. de diff. symptom. c. 5.
([2]) Id. de loc. adfect. L. III. c. 5.
([3]) C. AURELIAN. Morb. acut. L. II. c. x. p. 94.
([4]) De diff. symptomat. c. 3. p. 6.
([5]) GALEN. de differ. symptom. c. 3. p. 60.
([6]) Id. Meth. med. L. XIII. c. 21. p. 930.
([7]) vide GORRAEI defin. medic. voc. ἄνοια.
([8]) P. AEGINET. L. III. c. 11. p. 62.
([9]) GALEN. de caus. symptom. L. II. c. 7. p. 201. De loc. adfect. L. III. c. 5. p. 149. AETIUS Tetrab. II. S. II. c. 122.
([10]) HIPP. Aphor. VII. 14, 24. GALEN. de caus. sympt. L. II. c. 7.

rium per manuum indecoram gesticulationem ([1]), sermonem et responsionem aegri ([2]), defectum alicuius actionum voluntariarum, aut abusum ([3]), decubitum in ventrem praeter consuetudinem ([4]), stipularum e pariete captum ([5]), respirationem magnam ex intervallis editam ([6]) etc. Delirii dantur variae differentiae, uti ferox, taciturnum, cum risu, studio et aliis symptomatibus coniunctum ([7]).

Memoria, quae est σωτηρία αἰσθήσεως, sicuti PLATO dicit, atque impressiones in imaginatione acceptas conservat ([8]), non raro aboletur. Ab abolita memoria oritur oblivio, quam humores in cerebro collecti, metastasis, sicuti in atroci illa pestilentia Athenarum, quam graphice depinxit verissimus ac princeps historicorum, THUCYDIDES, senectus etc. ([9]) producunt.

CAP. III. DE SYMPTOMATIBUS MOTUS MUSCULORUM.

§. 124. Facultas motrix (δυν. κινητική), quae unum proximum organon habet, modumque ipsius actionis unum, variatur in particularibus organis, ita ut varias habere species videatur ([10]). Symptomata vero functionis motricis sunt immobilitas et movendi difficultas ([11]). Quae autem species

---

([1]) GALEN. Comm. I. in I. Prorrhetic. t. 6. p. 528.
([2]) Prorrhetic. I. 44. Coac. 51.
([3]) Coacae praenon. 51.
([4]) Prognostic. p. 37. GALEN. Comm. in h. l.
([5]) HIPP. Epid. L. III. S. III. p. 1114. Prognostic. p. 38.
([6]) Prognostic. p. 38. GALEN. de diff. respirat. L. II. c. 5.
([7]) vide FOESII Oeconom. Hippocr. v. παραφρονῆσαι.
([8]) GALEN. de motu muscul. L. II. c. 6. p. 445.
([9]) Id. de symptom. differ. c. 3 p. 62. De caus. symptom. L. II. cap. 7. pag. 200. THUCYD. de bello peloponnes. L. II. c. 49. pag. 75. LUCRET. De rer. nat. L. VI. v. 1211.
([10]) GALEN. de diff. symptom. c. 3. p. 56.
([11]) Id. loc. cit. p. 58.

motus observantur, consistunt in respiratione, voce et loquela, contractionibus musculorum spasticis, motu vitiato organorum atque pulsu.

DE SYMPTOMATIBUS RESPIRATIONIS.

§. 125. Respiratio, quae secundum auctoritatem HIPPOCRATIS caloris nutritionem et refrigerationem producit, secundum autem PRAXAGORAM animae corroborationem, secundum ASCLEPIADEM vero animae generationem causat ([1]), oritur a facultate animali thoracem movente ([2]). Actio haec vitalis in morbis maximum sibi locum vindicat, atque multiplices formas habet, utpote cum multiplices sint causae, quae respirationem commutant. Respirationis formae variant quoad celeritatem, magnitudinem, quietem, sonum, difficultatem inspirandi et exspirandi.

Respiratio, quoad celeritatem duplex est; aut celer (ταχεῖα), aut tarda (βραδὺς). Celer est respiratio, si brevi tempore multum emetitur spatii; tarda vero, si longo tempore promovet parum ([3]). Quoad magnitudinem magna et parva; magna est, si pectus multum movetur; parva vero, si parum movetur pectus, vel dilatatur, vel angustatur, vel simul utrumque accidit ([4]). Utrumque vero symptoma accidit ab acuto et imminuto calore naturali ([5]). Parvam respirationem producunt cyphosis, lordosis, scoliosis, vomica etc. ([6]); secundum quietem est rara (ἀραιά) aut densa (πυκνή) ([7]); quoad sonum autem est stertorosa (ῥέγχος) et

---

([1]) Id. de usu respirationis c. 1. p. 471.

([2]) Id. de diffic. respirat. L. I. c. 4. p. 761.

([3]) HIPP. Morb. III. XIIX. 62. XXVII. 3.

([4]) Coac. 125, 290. I. Epid. III. aegr. II. 44. XI. 33. III. Epid. III. aegr. 15, 16.

([5]) GALEN. de difficult. respirat. L. I. c. 7. p. 768.

([6]) GALEN. de difficult. respirat. L. I. c. 11. p. 782.

([7]) Id. de difficult. respirat. L. I. c. 2. p. 757.

suspiriosa (μυχθώδεα ἐξανεφέροντα πνεύματα); suspiriosa respiratio videtur in gemebundis puerorum suspiriis, cum in medio exspirationis cursu subsistunt, interruptumque spiritum revocant ac perficiunt ([1]). Respectu tandem difficultatis respiratio peccat in dyspnoeam, asthma et orthopnoeam. Dyspnoea est, si respiratio cum angustia trahitur; producit dyspnoeam obstipatio bronchiorum pulmonum a crassis et glutinosis humoribus GALENO testante ([2]). Asthma est crebra respirandi difficultas, eaque contenta ARETAEO observante ([3]). Orthopnoea autem est illa species difficultatis spirandi, in qua iacentes suffocantur et vix recto thorace sufficiunt nullibi innixo dorso ([4]); accidit orthopnoea suppuratione pulmonum laborantibus, peripneumonia luctantibus propter inflammationem etc. ([5]).

Varietates respirationis enumeratae frequentissime inter se iunguntur et copulantur, ut spiratio magna et celeris, magna et tarda, parva et citata, rara et magna, rara et parva etc. adpareat ([6]), quae mali ominis sunt.

§. 126. Symptomata, quae peculiares inspirationis et exspirationis modi proferunt, bene consideranda sunt. Catervam symptomatum illorum constituunt tussis, sternutatio, singultus et oscitatio.

Tussis, quae est vehemens exspiratio, ut spiritus auferat omnia quae illi viam praestruunt ([7]), oritur ab humore ad asperam arteriam destillante, asperitate membranae arteriam intrinsecus ambientis, illapso potu ac cibo in aspera arteria, vermibus stomachum infestantibus, morsu sto-

([1]) vide FOESII Oecon. Hipp. voc. Μυχθώδεα.

([2]) vide FOESII Oecon. Hipp. voc. Δύσπνοον.

([3]) De caus. et sign. acut. morb. L. I c. 11.

([4]) GALEN. Comm. II. in Hipp. Praedict. I. 88. p. 677.

([5]) Id. de medic. sec. loc. L. VII. c. 6. p. 106.

([6]) HIPPOCR. Epidem. II. S. III. p. 699. VI. S. II. p. 799. conf. GRUNER. Semiotice p. 173. etc.

([7]) GALEN. de caus. sympt. L III.

machi ([1]), inspiratione aëris frigidi ([2]), suppressa mensium purgatione ([3]) etc. Si tussis magno conatu fit atque nihil eiicitur, tussis sicca audit, cuius causa est asperitas gutturis, faucium, aut intemperies organorum ad spirationem inservientium, crassitudo et lentitudo humorum, qui in pulmonibus bronchiisque impacti sunt, ut vix dissolvi queant, sicuti in pleuritide sicca (ἐπὶ τῶν ἀπτύςων πλευρίτιδων) observatur ([4]).

Sternutatio (πταρμός) est violenta per nares spiritus expulsio a cerebro ([5]), atque a calore adaucto cerebri, repletione eius humoribus etc. oritur ([6]). Sternutationes frequentes in febribus noxiae sunt, cum caput repleant ([7]).

Singultus (λύγξ) est motus quidam ventriculi spasmodicus, a magna vacuatione vel repletione originem suam petens ([8]). Producunt singultum humorum corruptio, abusus aromaticorum ([9]), purgatio nimia per superiora ([10]), inflammatio hepatis ([11]) etc.; singultus post haemorrhagias largas symptoma est malum ([12]).

Oscitatio (χάσμη) est depravatus maxillae inferioris motus ([13]), ab humiditate flatuosa vel spiritu vaporoso con-

---

([1]) Aetius Tetrab. L. VIII. c. 58.
([2]) Paul. Aeginet. L. III. c. 8.
([3]) Galen. de venaesect. adv. Erasistr.
([4]) Hippocr. Epidem. L. I. 13. L. IV. 54. L. VI. 2. 11. Galen. Comm. I. in I. Epidem. t. 13. p. 55.
([5]) Hipp. Aph. VI. 51.
([6]) Hipp. l. c. Galen. Comm. I. de humor. t. 17. p. 166. Aetius Tetrab. II. S. II. c. 98.
([7]) Paul. Aegin. L. II. c. 48. p. 48.
([8]) Galen. Comm. in Aph. VI. 13. VII. 13. p. 22. 104. Alex. Trallian. L. VII. c. 15.
([9]) Id. de loc. adfect. L. III. c. 11. p. 199.
([10]) Hipp. Aph. V. 4.
([11]) Hipp. Aph. VII. 17.
([12]) Hipp. Aph. V. 3.
([13]) vide Gorraei defin. medic. voc. χάσμη.

tento in musculis maxillam inferiorem moventibus originem suam petens (1). Ab oscitatione non raro excidit maxilla, atque luxationes oriuntur (§. 53.).

VOCIS ET LOQUELAE SYMPTOMATA.

§. 127. Vox, animae motus secundum PLUTARCHUM (2), multa ac diversa abnormitatis symptomata refert. Reclinans a norma vox in dysphoniam ac aphoniam incidit; dysphoniae varii dantur gradus, ut nunc rauca, nunc clangosa, nunc stridula vox appareat.

Vox rauca (φωνὴ βραχώδης) est illa, quae oritur ab irrigatis vocis instrumentis humiditate, quae deorsum fertur (3). Producunt vocem raucam inspiratio aëris frigidi, vox nimis magna, aquae potus glacialis et niveae, catarrhus etc. (4). Vox rauca phthisi, abscessibus pulmonum, asthmate etc. laborante concomitatur (5).

Vox clangosa (φωνὴ ἠχώδης) est, si sonus profundus auditur, quod ex siccitate organorum ad articulationem vocis contribuentium oritur (6). Observatur in febrium ardentium metaschematismo etc. (7).

Vox stridula (φωνὴ κερχνώδης) ab asperitate faucium oritur, atque cum hypochondriorum introtractu symptoma perniciosum refert (8).

---

(1) GALEN. Comm. in Aph. V. 4.

(2) Ἡ δὲ φωνὴ τοῦ πνεύματος οὖσα κίνησις. PLUTARCH. de tuend. sanit. pag. 494.

(3) HIPPOCR. Epidem. L. I. p. 352. GALEN. de usu part. L. VII. cap. 7. pag. 535.

(4) Id. de aq. et loc. §. XXVII. pag. 26. ed. CORAY. GALENUS de loc. adfect. L. IV. c. 9. p. 268. De composit. medic. s. loc. L. VII. cap. 1. p. 4.

(5) ARETAEUS de caus. et sign. morb. diuturn. L. I. c. 9, 10, 11.

(6) Prorrhet. I. 47. GALEN. Comm. in h. l. De usu part. L. VII. cap. 7. pag. 535.

(7) HIPP. Epidem. Lib. VII. p. 314, 315.

(8) Prorrhetic. I. 45.

Abolita ac defecta vox aphonia (ἀφωνία) audit, quae oritur ab organorum inspirationi inservientium adfectione, quam humiditas vehemens impediti fluxus fluidi nervei etc. producit ([1]). Producunt aphoniam rigor, animi pathemata, ulcera in larynge, nervorum ad vocem inservientium dissectio etc. ([2]). Aphonia in febribus continuis, nec non febribus convulsivis delirio taciturno concomitatis malum symptoma est ([3]).

CONTRACTIONES MUSCULORUM SPASTICAE.

§. 128. Musculorum motum a fluido nerveo per nervos ab encephalo ad eos fluente oriri GALENUS testatur ([4]). ARCHIGENES vero derivavit motum musculorum ex animali spiritu ab atmosphaera per pulmones in sanguinem transeunte, qui inde in musculis propagetur atque turgentes contrahat ([5]). Symptomata, quae in motu musculorum observantur, varia sunt, atque secundum sedem, quam tenent, variis nominibus impertiuntur ([6]). Si musculi et nervi simul trahuntur, ut totum corpus sine voluntatis arbitrio trahatur, spasmus oritur ([7]). Spasmum producunt plethora, inanitio ([8]), stricturae nimietas ([9]), refrigeratio spiritus ([10]) etc. Contractiones musculorum ad anteriora ἐμ-

([1]) GALEN. Comm. in Prorrhet. I. 23. 24.

([2]) GALEN. Comm. in Prorrhet. I. 23, 24. De composit. medic. sec. loc. L. VII. c. 1. p. 4.

([3]) Coac. praenot. §. 1. Prorrhetic. I. 7.

([4]) De caus. symptomat. L. I. c. 8. p. 139.

([5]) vide SPRENGEL Physiologia T. II. p. 146. (Amstelod. 1810. 8.).

([6]) GALEN. de differ. symptom. c. 3. p. 58. De caus. symptom. L. II. c. 2. p. 149.

([7]) vide FOESII Oecon. Hippocr. voc. Σπασμός.

([8]) HIPPOCR. Aph VI. 39. conf. GALEN. de caus. symptom. L. II. c. 2, p. 152.

([9]) C. AURELIAN. de morb. acut. L. III. c. 6.

([10]) ARETAEUS de caus. et sig. acut. morb. L. I. cap. 6. Diutur. morb. L. I. c. 11.

προσθότονον, ad posteriora *ὀπισθότονον*, ad utramque partem *τέτανον* producunt. Abnormes isti musculorum motus oriuntur a frigido humore externe ad interna conformato, vel obstructione nervorum ab humoribus crassis ([1]); secundum Pelopem causa illorum abnormium motuum est repletio musculorum a spiritu et aëre crasso et nubiculoso ([2]). Si partes corporis, quae sursum ad deorsum vicissim feruntur, debile moventur, tremorem (*τρόμος*) producunt, qui a laboribus nimiis, animi pathematibus, frigore, potu vinoso, humorum crassitudine, obstructione meatuum facultatis moventis etc. ([3]) oritur. Tremores in principio morborum accidentes non a praegressis causis vim vitalem deprimentibus, humorum plethoram praesagiunt ([4]). Non raro tremores criseos symptoma sistunt ([5]). Musculi non raro praeter naturam dilatantur (quod palpitatio (*παλμὸς*) audit), quam spiritus vaporosi producunt crassi et caliginosi parte aliqua consistentes atque eam distendunt et attollunt ([6]). Abnormis totius corporis convulsio rigor (*ῥῖγος*) audit ([7]). Oritur rigor a perfrigeratione corporis totius per refrigerationem sanguinis ([8]), violenta acrium humorum in partem aliquam irruptione ([9]), humoribus biliosis et crassis ([10]) etc. Rigor est comes febrium ([11]), symptoma ulcerum et abscessuum

---

([1]) Galenus Introduct. c. 13. p. 738. Oribas. Synops. L. VIII. cap. 16.

([2]) P. Aeginet. L. III. c. 20. p. 70.

([3]) Galenus de tremore etc. c. 2. pag. 365, 366, 368. De caus. symptom. L. II. c. 2. p. 154, 157.

([4]) Id. Comm. I. in Epidem. t. 2. p. 483.

([5]) Hipp. Epidem. L. IV. c. 13. p. 125. Galen. de crisib. L. III. cap. ultimo.

([6]) Galen. de caus. symptom. L. II. c. 2. p. 159, 162.

([7]) Galen. de causis symptom. L. I. c. 8. p. 145.

([8]) Hipp. de morb. L. I. p. 457.

([9]) Id. ubi supra L. II. p. 510.

([10]) Galen. Comm. II. in VI. Epid. t. 6.

([11]) Hipp. loc. cit.

suppurantium [1]; si rigor cum torpore multo coniunctus aut eum secutus fuerit, mentis alienationis, febris quotidianae symptoma est [2]. Languentibus viribus superveniens rigor symptoma lethale est [3].

MOTUS MUSCULORUM INAEQUALIS.

§. 129. Corpore intemperie quadam obruto dolor oritur, qui cum intemperie pari passu progreditur; etenim in acutissimis et vehementissimis febribus dolore afficiuntur corporis partes solidae, quae a calido praeter naturam mutantur atque alterantur. Incipientibus praeterea morbis homines sentiunt profundum quendam sensum in tota corporis mole, pandiculantur, tum omnes corporis partes distendunt naturae quodam instinctu [4]. Altera huius sensus molesti species est, quae in lassitudinum affectibus sentitur, sive hae post multos labores sive sponte consistant; sensus autem in lassitudinibus triplex est, vel fractam et contusam esse (ὀςεοκόπος), vel tendi undique corporis molem (τονώδης), vel tanquam multis ulceribus, quoties moventur (ἑλκώδης), conspergi, putant homines [5]. Oriuntur lassitudines maxime ex plethora, quae partes continentes distendit, copia materiarum excrementitiarum tenuium ac acrium [6]. Ulcerosa lassitudo maiorem gradum assecuta horrorem producit, qui si in motum agitur horripilationem (φρίκην) efficit [7].

---

[1] Galenus de loc. adfect. L. I. cap. 5. pag. 47. Comm. III. in VI. Epid. t. 18.
[2] Hipp. Aph. IV. 63. De veter. medic. xxix. Praedict. I. 2.
[3] Hipp. Aph. IV. 46.
[4] Galen. de caus. sympt. L. II. c. 5. p. 176, 177.
[5] Id. ubi sup. pag. 178.
[6] Id. loc. cit. p. 178. De sanit. tuend. L. III. c. 5. p. 192.
[7] Id. de caus. symptom. L. II. c. 5. p. 179.

§. 130. Pulsum inter symptomata, quae motu musculari observantur, GALENUS collocat, palpitationem cum eo comparans ([1]). Pulsum HIPPOCRATES uti pulsationem arteriarum in statu morboso considerat, sicuti SPRENGELIUS monet ([2]). HEROPHILUS autem est primus, qui pulsum incepit observare in morbis, atque eius mutationes definivit et ordinavit (§. 15.). ARETAEUS etiam sedulo in omni morbo adnotavit proprietates pulsus. Doctrina vero de pulsu clarius ac fusius a GALENO exposita est, qui in determinandis differentiis pulsuum verbosus fuit studens rem claram facere et sophistarum inanes disceptationes enihilare ([3]). Posteriores medici nihil proprii de pulsu reliquere.

§. 131. Pulsum esse motum arteriarum quidam pronunciavere, alii autem motum cordis et arteriarum, atque alii alio modo ([4]). Causa motus arteriarum est vis vitalis, quae eas movet PRAXAGORA docente; HEROPHILUS vero opinabatur arterias facultatem innatam non habere, sed cordi referre acceptam. ERASISTRATUS autem omnem arteriarum facultatem reiecit, atque credidit pulsare contra ac cor arterias, illud quum distendatur, repleri eo quod consequitur ad vacuatum; arterias, cum repleantur distendi; repleri autem immisso a corde spiritu ([5]). GALENUS vero pronuntiavit arterias per vitalem facultatem moveri a corde,

---

([1]) De caus. sympt. L. II. c. 2. p. 161.

([2]) *Beiträge zur Geschichte des Pulses* p. 28. *Leipz.* 1787. 8.

([3]) Contra prolixum sermonem, quo GALENUS usus est in expositione theoriae pulsus, iniustum iudicium tulere ill. HALLERUS (Institut. §. 219. p. 278.), DE HAEN (Ratio med. P. XIII. p. 22.) atque BORDEVIUS (*Recherches sur le Pouls. Disc. prélim.* p. 16.). Iustitius autem GRUNERUS (Semiotice p. 110.) atque CLOTURE (*Anleitung für Ärzte nach Hippocratischen Grundsätzen etc.* pag. 71. *Leipz.* 1785. 8.) de hac re locuti sunt.

([4]) GALEN. de diff. puls. L. IV. c. 2. p. 699.

([5]) Id. loc. cit. p. 703.

ceu fonte quodam manantem, perque arteriarum tunicas eodem modo eademque celeritate distributam ac motrix facultas ad externos musculos transmissa ([1]). Commutatur pulsus a causis naturalibus vel non naturalibus; causae naturales sunt sexus, temperamentum, anni tempestas, somnus etc.; non naturales balnea frigida et calida, potus et cibus immodicus etc. ([2]).

Divisit ARCHIGENES pulsum in octo genera ([3]); GALENUS quoque octo admisit genera pulsus, quae hocce modo determinavit: 1) genus quantitatis distentionis; 2) genus motus; 3) genus rhythmi; 4) genus contentionis arteriae; 5) genus qualitatis corporis arteriae; 6) genus profusionis arteriae; 7) genus aequalitatis et inaequalitatis; 8) genus ordinis et perturbationis ordinis ([4]); haec vero genera divisit in species quasdam, uti paragraphus sequens cxponet.

§. 132. Quod attinet quantitatem distentionis arteriae pulsus est longus (μακρὸς), brevis (βραχὺς), latus (πλατὺς), angustus (ςενὸς), altus (ὑψηλὸς) et humilis (ταπεινὸς). Corpora enim in dimensione, distentione ac profunditate considerantur, quibus arteriae, quae cum sint corpora, obsequi debent ([5]).

Motus temporis vel ad motum ipsius distentionis, vel ad quietis interpositae tempus consideratur. I. Motus arteriae contentionem habet, qua aut aegre et languide, aut prompte valenterque conficitur; quam ob rem tres enas-

---

([1]) An sang. in art. nat. contin. cap. 8. De usu puls. cap. 4, 5. conf. cel. HECKER. Sphygmologiae Galenicae specimen p. 8. Berolini 1817. 8.

([2]) GALEN. de puls. ad tirones c. 9, 10.

([3]) Id. de loc. adfect. L. II. L. III.

([4]) HECKER Sphygmolog. Galenicae specimen p. 14.

([5]) GALENUS de differ. puls. L. I. cap. 4. pag. 503. De puls. ad iront. cap. 2.

cuntur differentiae, celeris (ταχέος) nimirum, tardi (βραδέος) eorumque intermedii ([1]). Celer est pulsus, si pauco tempore motus conficitur, tardus, si multo ([2]). II. Respectu interpositae quietis, pulsus est rarus (ἀραιὸς), si longa est, si parva et moderata, creber (πυκνὸς) sive frequens et moderatus frequentia efficitur ([3]).

Rhythmus pulsuum consistit in comparatione temporis distentionis cum contractionis tempore. Secundum rhythmum pulsus est εὔρυθμος aut ἄρυθμος ([4]).

Secundum genus roboris tres dantur pulsuum differentiae, si nempe arteria distenditur atque pulsus valido robore fit, ut tactum cum renisu quodam subvertat (σφοδρὸς), vehemens, qui imbecillus in distentione est, languidus (ἀμυδρὸς) nuncupatur; inter duas istas species pulsuum media quaedam datur, quae proprium nomen non habet, sed definitione explicatur ([5]).

Secundum qualitatem corporis arteriae dividitur pulsus triplici modo. Arteriae enim corpus habent aut iusto durius, aut mollius, aut moderatum, hac ex causa pulsus fit vel durus (σκληρός), vel mollis vel moderatus ([6]).

Secundum arteriae profusionem pulsus est vel plenus (πλήρης), vel vacuus (κενὸς), vel moderatus ([7]).

Quod vero aequalitatem et inaequalitatem attinet, pulsus est aequalis (ὁμαλὸς), vel inaequalis (ἀνώμαλος). Inaequalis est pulsus in ordine (τάξει) et perturbatione ordinis (ἀταξία), hanc ob rem pulsus ordinatus (τεταγμένος)

([1]) Galen. Synops. L. XVI. de puls. c. 3. De differ. puls. L. I. c. 4. p. 52.
([2]) Id. de puls. ad tiron. c. 3.
([3]) Galen. de diff. puls. L. I. c. 7. p. 514.
([4]) Galen. de diff. puls. L. I. c. 8. p. 515.
([5]) Id. de diff. puls. L. I. c. 5. p. 508, L. III. c. 5. p. 668.
([6]) Id. de diff. puls. L. I. c. 5. p. 508.
([7]) Id. de diff. puls. L. I. c. 5. p. 509.

dicitur, qui pares circuitus retinet, inordinatus (ἄτακτος), qui impares (¹). Pulsus inaequalis in inflammatione pulmonis observatur (²). Dantur adhuc inaequalium pulsuum varietates diversae, ita myurus, caprizans, convulsivus, vibratus, undosus, vermiculans, formicans etc. (³).

§. 133. In morbis multiplici modo pulsus variat, sic in febre tertiana pulsus est maximus atque vehementissimus (⁴), in lethargicis est mollis, debilis et remissus, in phreniticis parvus, durus, celerrimus, perraro undosus, in tabidis languidus, crebrior, celerior, decurtatus uno ictu, in resolutis parvus, debilis, tardus, in hydropicis parvus, duriusculus, crebrior cum quadam tensione copulatus etc. (⁵).

CLASSIS II.

DE SYMPTOMATIBUS VITAE PLASTICAE.

§. 134. Vita plastica (φυσικὴ δύναμις), quae conservit ad molem corporis conformandam ac elaborandam, symptomata refert magni momenti. Haec autem symptomata consistunt in ministrantibus facultatibus vitae plasticae. Ministrantes facultates vitae plasticae, quae a nutritione, concoctione et generatione conformatur, sunt facultas alteratrix, retentrix, concotrix et expultrix (⁶). Memoratu dignissima sunt symptomata, quae in concoctione, adsimilatione ac nutritione observantur, quae sequentes paragraphi exponent.

(¹) Id. de diff. puls. L. I. c. 9. p. 518.
(²) Aret. de caus. et sign. morb. acut. L. I.
(³) vide Paul. Aeginet. L. I. c. 11. p. 33.
(⁴) Galen. de dign. puls. L. I. c. 1.
(⁵) Id. de caus. puls. L. IV. cap. 11, 13, 14, 18, 24. pag. 179, 183, 184, 192, 200.
(⁶) Galen. de natur. facult. L. I. c. 5, 6. p. 10.

§. 135. Concoctio (πέψις), quae est alteratio eius, quod concoquitur in coquentis substantiam, GALENO monente ([1]), a natura aberrans, cruditatem, bradypepsiam ac dyspepsiam producit ([2]); si nulla penitus alteratio fuerit, cruditas (ἀπεψία) oritur; si autem tardo et nunquam convenientem mutationem cibus suscipiat, tardam concoctionem (βραδυπεψίαν) producit; si tandem naturalem perfectionem cibus prorsus recipere nequeat, dyspepsia oritur. Producit noxas istas concoctionis alteratricis facultatis a scopo aberrantis frustratio, quam errores in secretis in ventriculo, in cibis, in tempore somni, intemperies quaedam activarum facultatum, atque morbi organici, qui in erysipelatis, oedematis, phlegmonis, scirrhis, abscessibus, carbunculis et caeteris eiusmodi circa ventriculum partim simplicibus, partim compositis morbis, consistunt, producunt ([3]). Concoctione male habente oriuntur corruptiones nidorosae et acidac ([4]).

§. 136. Adsimilatio, quae nutrimentum praeparat et aptum facit, ut parti unicuique corporis agglutinari et apponi possit, magnum consensum cum nutritione habet ([5]). Facultas autem ista iisdem symptomatibus vexatur, quae concoctionem turbant ([6]). Producunt hunc vitae plasticae morbosum statum intemperies, quae facultatem reddit imbecillem, morbi organici vias coarctantes, alimentorum pravitas, crassitudo et lentitia ([7]). Hepate malc habente adsimilatio laborat, quare faeces fiunt similes lutis carnibus noviter mactatis ([8]).

([1]) vide FOESII Oeconom. Hippocr. voc. πέψις.
([2]) GALEN. de diff. symptomal. c. 4. p. 71.
([3]) GALEN. de caus. symptom. L. III. c. 1. p. 207.
([4]) Id. loc. cit. p. 208.
([5]) Id. loc. cit. p. 225. De facult. natur. L. I. c. 10-11.
([6]) Id. de caus. symptom. L. III. c. 1. p. 209.
([7]) Id. de caus. symptom. L. III. c. 3. p. 221.
([8]) P. AEGINET. L. III. c. 46. p. 103.

§. 137. Nutritio inter facultates naturales supremum locum tenet ([1]). Nutritione autem corpora alienari, quanquam a quibusdam veterum in dubium vocatum fuerit, tamen GALENUS gravissimis argumentis demonstravit ([2]). Facultas autem illa frustratur, cum vel prorsus non fiat, vel diminute, vel depravate fiat, cuius causa est defectus vel pravitas materiae nutrientis ([3]). Defectus nutritionis atrophia adpellatur, quae non solum ob alteratricis facultatis imbecillitatem, sed etiam ob attractricis infirmitatem, aut immoderatiorem excretricis motum oritur ([4]). A prava autem nutritione elephantiasis, leucae etc. oriuntur ([5]). Nutritione male adfecta a ciborum repletione, debilitas in articulis oritur, in quos humores exsuperantes deiiciuntur, atque podagra, morbus atrox producitur, PAULO AEGINETA observante ([6]).

§. 138. Symptomatibus concoctionis, adsimilationis ac nutritionis expositis restat nunc ut ea, quae circa ministrantes iis facultatibus accidunt, retentrici nimirum, expultrici ac attractrici, exponamus.

a) DE SYMPTOMATIBUS FACULTATIS RETENTRICIS.

§. 139. Facultas retentrix secundum naturam est, si tempus comprehensionis ciborum coucoctionis tempore exaequatur; triplici modo peccare facultatem istam, si nimirum non probe comprehendit, aut penitus, aut dum utrumque accidit, GALENUS testatur ([7]). Oriuntur ex abnormibus istis motibus fluctuationes cum sonitu (κλύδωνες), tremuli

---

([1]) GALEN. de caus. symptom. L. III. c. 4. p. 224.
([2]) Ubi supra p. 225, 228. De consuetudin. c. 3. p. 120.
([3]) Id. de caus. symptom. L. III. c. 4. p. 225.
([4]) Id. ubi supra p. 230.
([5]) Id. loc. cit.
([6]) Lib. III. c. 68. p. 124.
([7]) GALEN. de diff. sympt. c. 4. p. 67.

quidam vel palpitantes, vel tanquam concussivi et convulsivi motus. Producunt fluctuationes istas potiones largae ([1]).

b) DE SYMPTOMATIBUS FACULTATIS EXPULTRICIS.

§. 140. Facultas expultrix symptomata praebet magni momenti, quae per ructum, nauseam, vomitum et lienteriam adparent.

Ructus (ἐρυγή), quae indicat cibos in ventriculo nondum concoctos esse, a ventriculi imbecillitate vel alimentis indigestis oritur. Imbecillitatem ventriculi producunt calida et frigida intemperies, unde oriuntur ructus nidorosi, fumosi et acidi (quod ὀξυρεγμίη audit ([2])). Ructus acidi, biliosi, graveolentes sunt symptoma inflammationis atque colicae adfectionis. Ructus inanes volvulum indicant ([3]).

Nausea (ναυτία) est motus depravatus facultatis expultricis, quo nititur eliminare per os, quae ventriculo molesta sunt ([4]). Inanis vero iste conatus vomendi ventriculum male dispositum indicat, a copia vel quantitate mordacis cuiusdam rei gravari et lacinari ([5]). Symptoma hoc in vomitu cruento, intestinorum tenuium ulcere cavo et depascente, iecinoris inflammatione, lienis abscessu ineunte ruptione ([6]) etc. observatur.

Vomitus (ἔμετος) est violenta per os expulsio contentorum in ventriculo ([7]). Provocatur vomitus modo idiopathico aut sympathico. Modo idiopathico oritur vomitus

---

([1]) Id. de caus. symptom. L. III. c. 2. p. 215.

([2]) Id. Comm. in Aph. V. 1. Comm. II. de vict. ration. in acut.

([3]) Aret. de caus. et sig. m. acut. L. II. 7. De c. et s. morbor. diuturn. L. II. c. 8.

([4]) Galen. de loc. adfect. L. V.

([5]) vide Gorraei defin. medic. voc. Ναυτία.

([6]) Aretaeus de caus. et sig. morb. acut. L. II. cap. 2, 7. De caus. et sign. morb. diuturn. L. I. c. 14. L. II. c. 9.

([7]) Id. de caus. et sign. morb. acut. L. II. c. 3.

a passionibus cerebri, viscerum, abdominis et thoracis ([1]), irritatione faucium ([2]) etc.; sympathico vero modo generatur vomitus a mole nimia ciborum et potulentorum, nutrimentis nauseosis et corruptis, medicamentis acrioribus ([3]). Vomitus quanquam salutares effectus producit in morbis quibusdam ([4]), tamen ab eius protracto immodico usu sequelae malae oriuntur.

Evacuationes per alvum celeriter accidentes, in quibus commista talia deiiciuntur, qualia devorata fuerint, λειεντερία audit ([5]). Lienteriam producunt exulceratio in superficie ventriculi vel intestinorum, debilitas facultatis retentricis etc. ([6]).

c) DE SYMPTOMATIBUS FACULTATIS ATTRACTRICIS.

§. 141. Facultas attractrix cibos vel omnino attrahere nequit, quod stomachi paralysis audit; vel aegre attrahit, quo tempore resolvi quidem incipit, resolutus tamen adhuc non est; vel tandem depravate trahit. Prodncunt molestias istas tuberositates in stomacho ortae, quae omnino viam obstruunt, vel aliquatenus impediunt ([7]). Peristalticus intestinorum motus depravatur, quae in intestinis continentur, sursum adfert, unde stercus et aliae materiae per ventriculum ac os foris eiiciuntur ([8]).

([1]) Hipp. Aph. VI. 50. VII. 8. Coac. praen. p. 186. Aret. de caus. et sign. morb. acut. L. II. c. 7.

([2]) Id. de morb. intern. p. 534.

([3]) Aetius Tetrab. I. S. III. c. 123.

([4]) Id. l. c. Galen. Meth. med. ad Glauc. L. I. c. 11. p. 37.

([5]) Hippocrates de adfect. p. 522. Galen. Comm. in Aph. IV. 12. VI. 1.

([6]) Galen. Comm. in Aph. III. 22.

([7]) Id. de caus. symptom. L. III. c. 2. p. 218.

([8]) Id. loc. citat. p. 219, 220.

SECTIO II.

DE SYMPTOMATIBUS QUALITATUM CORPORIS.

§. 142. Symptomata, quae circa qualitates corporis observantur, consistunt in iis mutationibus, quae sensibus quinque comprehenduntur ([1]).

§. 143. Qualitates corporis, quas visus cognoscit, consistunt in colore mutato totius corporis, facie, labiis et lingua alienata. Color corporis ab humoribus internis vario modo tingitur, qui a naturali specie decedunt, aut ad interna revertuntur, aut cutim veluti perfundunt. Producunt humorum dictas mutationes animi perturbationes, ambientis nos aëris in calorem et frigus mutationes, ipsius corporis affectus, sanguinem vel calidiorem, vel frigidiorem, vel parciorem, vel uberiorem, vel foras protrusum, vel intro revulsum continentis ([2]). Si coloratior aliquis et speciosior factus est, suspecta habere bona sua debet ([3]). Quibus vero falsa sputa cum tussi subsistunt, iis corpus veluti efflorescentibus pustulis rubescit, ante obitum exasperatur ([4]). Cutis pallida adparet in iis, in quibus ventriculo male habente praepeditur concoctio, hincque ulterior imperfecta redditur vegetatio, seminis profluvio laborantibus, amore divinae scientiae indulgentibus etc. ([5]); albus cutis color in febribus acutis cum malis signis exitiosus est ([6]), lividus color in febribus acutis putredinem et mortem praesagit ([7]).

([1]) Galen. de diff. symptom. c. 5. p. 74.
([2]) Id. de caus. symptom. L. III. c. 12. p. 267.
([3]) Cels. de med. L. II. c. 2.
([4]) Coac. praen. §. 234.
([5]) Aretaeus. p. 18, 50, 58.
([6]) Coac. praenot. §. 2.
([7]) Coac. praenot. §. 2, 3.

Facies, animi imago secundum CICERONEM [1], mirum in modum mutationes internas externe exprimit, quare schola Hippocratica sapientissime statuit in omni morbo observandam esse faciem [2]. Facies sui ipsius similis bonum est signum, si contrarium est, malum, quod per colorem lividum, aut pallidum, aut luridum, nasum acutum, oculos concavos, tempora collapsa, aures frigidas et contractas, inversos lobos aurium, cutem circa frontem duram, intentam et siccam exprimitur [3]. Caterva symptomatum istorum conformat faciem dictam a veteribus πρόσωπον νεκρῶδες [4], et a neotericis faciem Hippocraticam. Producunt hunc statum faciei causa aliqua, quae excedit et carnosas animalium partes absumit, debilitas vis vitalis, quae ad externas usque partes corporis proferre se nequit, sed solis in visceribus exigua remanet, sanguinisque ad faciem adfluxus imminutus [5].

Labia. Color varius eorum est, ut nunc lividus appareat, atque in mortem propinquo esse pronunciet [6], nunc croceus, quod hepatis obstructionis atque morbi regii symptoma est [7].

Lingua, cuius substantia mollis atque rara est [8], ad statum primarum viarum dignoscendum magnam symbolam contribuit [9], utpote cum communitas inter eas et linguam per membranam mucosam praevaleat [10]. Sanorum hominum lingua humida, rubra et pura est, si vero morbo

---

(1) Orator. III. 59.
(2) Prognost. I. 5. GALEN. Comm. ad h. l.
(3) Prognost. I. 2. Coac. praenot. §. 212.
(4) GALEN. Comm. I. in Praedict. I. t. 2. p. 503.
(5) Id. Comm. I. in Prognost. t. 7. p. 27.
(6) Coac. praenot. §. 240.
(7) ARETAEUS de caus. et sig. morbor. p. 44.
(8) ARISTOT. Hist. anim. L. I. c. 11.
(9) ARETAEUS loc. cit. pag. 100.
(10) GALEN. de caus. symptom. L. I. c. 6. p. 123.

luctat, varium induit colorem variamque magnitudinem, nec non substantiam commutat. Humores inquilini vario modo tingunt linguam secundum illorum exsuperantiam (1); in substantia enim linguae, quae flaccida et laxa est, facilius penetrant atque colorem ab istis lanarum ad instar suscipit (2). Lingua adparet rubra in angina (3), febri pestilentiali, quae Athenis nefande saeviebat (4). Linguae albedo in peripneumonicis observatur, quod praesagit ambas pulmonis partes inflammatas esse (5). Lingua nigricans in febribus ardentibus praevalet (6). Moles linguae adaucta cum nigredine symptoma lethale sistit (7). Substantia vero linguae non raro est sicca, aspera, dura, horrida, fissa, adusta etc. (8), a defectu humoris glandularum salivalium originem suam petens (9). Motus linguae varius est; lingua tremula insipientis signum est et virium vitae prostrationem haud contemnendam denotat atque deliris et phreniticis propria existit (10).

§. 144. Olfactus mutationes, quae in exspiratione et transpiratione cutanea, excrementis, flatibus, saliva, urina etc. accidunt, dignoscit (11). Graves odores, qui ex excrementis proveniunt, exitiosi sunt GALENO testante (12); vomitiones foetidae malae sunt (13); foetor etiam, qui ex

(1) HIPP. Epidem. L. VI. S. V. 15.
(2) GALEN. Comm. V. in Epid. L. VI. p. 271.
(3) HIPP. Epidem. L. III. S. II. 4.
(4) THUCYDID. de bello peloponnesiac. L. II.
(5) Coac. praenot. p. 560. Vol. I. ed. Lind.
(6) HIPP. de adfect. p. 519. GALEN. de loc. adfect. L. I. cap. 5. pag. 47.
(7) HIPP. Epidem. L. VII. t. 83. p. 1229.
(8) vide FOESII Oecon. HIPP. voc. Γλῶσσα.
(9) GALEN. Comm. in I. Prorrhetic. I. 3. p. 508.
(10) Praedict. I. 1.
(11) GALEN. Comm. de humorib. p. 215.
(12) Comm. in III. Epidem.
(13) Prognostic. pag. 41.

aegroto provenit, indicium est putredinis et vis vitalis extinctionis ([1]).

§. 145. Gustatilium mutationum symptomata sunt sapores praeternaturales, quos percipiunt aegri. Quae enim per vomitum evacuantur, saporem dulcem, salsum, amarum et acidum habere aegrotis videntur ([2]).

§. 146. Tactilium tandem qualitatum symptomata sunt, quae cutis praecordia et venter producit.

Cutis dura, distenta, sicca, humida, calida, rugosa etc. in morbis observatur ([3]). Calor etiam cutis in morbis nunc adauctus, nunc imminutus adparet. Calor ille bonus est, qui mitis, placidus, aequalis per totum corpus et cum aliqua humiditate coninnctus est ([4]); pravus est calor, si non universum corpus tenet, sed partem eius aliquam ([5]). Si internae partes uri videntur, quanquam externe nullus sensus caloris, sed frigoris, symptoma est lethale ([6]). Calore imminuto extremitates corporis frigent, cum calor ad interiora contractus sit inflammatione, erysipelatis magnitudine in visceribus fatigante, GALENO testante ([7]).

Praecordiorum inspectionem in morbis magni momenti esse HIPPOCRATES ([8]), et post eum recentiores peritissimi medici uno ore testantur ([9]). Praecordia tensa sunt, cum eminet utrimque margo costarum spuriarum cartila-

---

([1]) GALEN. Comm. in Prognost.

([2]) GALEN. de differ. symptomat. c. 5. p. 76.

([3]) Id. loc. cit. p. 76-77.

([4]) Prognostic. §. 8. Coac. praenot. §. 3. GALEN. Comm. II. de natur. human.

([5]) HIPP. Aph. VII. 3.

([6]) Id. Aph. IV. 48. VII. 72.

([7]) vide P. ALPINI de praesagienda vita et morte Lib. II. cap. 15. pag. 122.

([8]) De vict. acut. XLVII. 1-3.

([9]) P. ALPINI de praesag. vit. et mort. L. I. c. XI. p. 326. LOMMIUS med. observ. L. III. BAGLIV. Prax. medic. L. I. p. 62-63.

gineus, atque musculi abdominales eo loco versus spinam retracti sunt ([1]); tenduntur praecordia ab inflammatione iecoris, septi transversi, lienis, spiritu flatulento etc. ([2]). Non raro palpitatio in praecordiis observatur, quae delirium et haemorrhagiam narium praesagit ([3]).

Venter mollis corporatusque in omnibus morbis bonnm est signum ([4]). Frequenter venter distentus et in tumorem elatus a flatibus intestinis collectis adparet, quod μετεωρισμὸς audit ([5]).

SECTIO III.

DE EXCRETIS ET RETENTIS.

§. 147. Symptomata, quae in hac sectione pertinent, triplici modo dividuntur: 1mo in ea, quae in substantia tota, 2do quae in quantitate, et 3^tio^ quae in qualitate alienata observantur ([6]). Substantiae totae alienatae sunt ea, quae in corpore humano praeter naturam generantur, uti vermes, calculi etc. Symptomata, quae in quantitate et qualitate mutata excretorum fiunt, laesionem aliquam facultatis, aut intempestivam irritationem, aut depravatum motum facultatem excitantem, aut alicuius organi osculationem, vel ruptionem, vel erosionem causam habent, eximio Galeno observante ([7]). In albo classis huius symptomatum ea, quae in transpiratione cutanea, tractu intestinali, vesica urinaria et functionibus sexus accidunt.

([1]) Aret. de caus. et sign. diut. morb. L. I. c. 8. conf. Foesii Oeconom. Hippocr. voc. ὑποχόνδριον.

([2]) Galen. Comm. III. in III. Epid. t. 1. Comm. in Aph. IV. 73. pag. 761.

([3]) Coac. praenot. II. 244, 269.

([4]) Hipp. Aph. IV. 19.

([5]) vide Foesii Oecon. Hipp. voc. Μετέωρον.

([6]) Galen. de diff. symptom. c. 6. p. 79.

([7]) Id. de caus. symptom. L. III. c. 5. p. 231.

Cap. I. DE SYMPTOMATIBUS TRANSPIRATIONIS CUTANEAE.

§. 148. Transpiratio cutanea, quae materias excrementias per poros e corpore eliminat, suppressa materias illas in alio loco deponit, atque malas ac bonas sequelas adfert (1). Supprimunt traspirationem cutaneam frigus, exanthemata etc. (2). Transpirationi cutaneae cognatus est sudor, qui est colamen tenuius et serosi humoris in sanguine (3). Oritur sudor a superante materiarum plasticarum resolutione (4) vi vitali in organo cutaneo male se habente, quare Diocles sudorem semper sicuti symptoma praeter naturam consideravit (§. 15.), inflammationis vehementia (5) etc. Peccat sudor quoad qualitatem et quantitatem. Sudores copiosi oriuntur vel a corporis raritate, vel a tenuitate materiae, quae eliminatur (6); producunt animi deliquium (7) atque indicant in febribus copiam magnam humorum (8). Sudores profusi, qui in febribus acutis nullum levamen adferunt, symptoma malum sunt, cum aegrotantium facultates disolvant (9). Sudores parci oriuntur aut parcitate illius, quod superfluit, aut glutinositate et crassitudine, aut tandem angustia meatuum, per quos illud eliminatur e corpore (10).

---

(1) Id. Meth. medic. L. XI. c. 8. p. 755. Comm. II. in I. Epid. t. 15. pag. 109.

(2) Id de diff. febr. L. I. c. 4. Oribas. Synops. L. VII. c. 7.

(3) Id. defin. medic. c. 72. p. 365.

(4) Ὁ ἱδρὼς τῆξίς τις ἐστὶ. Theophr. de sudorib.

(5) Coac. praenot. t. 26.

(6) Galen. de caus. symptom. L. III. c. 9. p. 252.

(7) Id. de med. meth. ad Glauc. L. I. c. 15. p. 53.

(8) Id. Comm. in Aph. IV. 42. p. 721.

(9) Hipp. Praedict. I. 5. Galen. Comm. in h. l.

(10) Galen. de caus. symptom. L. III. c. 9. p. 253.

Respectu qualitatis sudores variant secundum constitutionem, ut nunc appareant calidi, ab igne, qui materiam morbi extenuat et calefacit; frigidi, propter materiam non adhuc extenuatam et calefactam ab igne [1]; frigidi sudores in febre acuta lethale constituunt symptoma [2]; sudores apparent etiam viscidi, male odorantes [3], atque salsugine quadam contaminati, a qua exanthemata oriuntur THEOPHRASTO testante (§. 14.), quae a GALENO ἴδρωα adpellantur [4].

CAP. II. DE SYMPTOMATIBUS, QUAE TRACTUI INTESTINALI ACCIDUNT.

§. 149. Symptomata, quae in tractu intestinali observantur, consistunt in phaenomenis, quae flatus, faeces, caruneulae, vermes, pus etc. producunt. Materiae vero, quae per alvum evacuantur, differunt secundum liquiditatis gradum, colorem, odorem etc.

§. 150. Flatus (φῦσαι) oriuntur ab humoribus pituitosis aut cibis a deficiente calore in halitum solutis in ventre [5] vel debilitate vis vitalis [6]. Si in atonia consistit tractus intestinalis, flatus eliminare nequit atque inflationem (ἐμπνευμάτωσιν) producit [7]. Varii flatuum sonitus dependent a partibus intestinorum, in quibus conformantur aut moventur; flatus, qui acute et tenuiter sonant, in intestinis tenuibus et praecipue ieiuno consistunt; bom-

---

[1] HIPP. de morb. L. I. p. 459. GALEN. Comm. in Aph. IV. 37.
[2] GALEN. de ver. exper. praesag. cap. 4. pag. 517. Tom. XIX. AETIUS Tetrab. I. S. V. c. 50.
[3] Id. de bonis pravisque suc.
[4] Comm. in Aphor. III. 21.
[5] GALEN. de caus. symptom. L. III. c. 6. p. 239.
[6] Id. Comm. III. in VI. Epidem. t. 12. p. 29.
[7] Id. de caus. sympt. L. III. c. 6. p. 240.

bosi flatus in crassis fiunt intestinis, cum sint excrementorum vacua. Si in intestinis humor quispiam continetur et bombi species accidit, βορβορυγμὸς adpellatur, qui humidi excretionem denunciat ([1]). Flatus implicati in intestinis, dum exitum non habent, tormina atque dolores vehementes producunt ([2]), aut mortem ipsam inducere possunt, uti PALLADAS iocose canit:

> Πορδὴ ἀποκτείνει, πολλὺς ἀδιέξοδος οὖσα
> Πορδὴ καὶ σώζει τραυλὸν ἱεῖσα μέλος.
> Οὐκοῦν καὶ σώζει καὶ ἀποκτείνει πάλι πορδὴ
> Τοῖς βασιλεῦσιν ἴσην πορδὴ ἔχει δύναμιν.

Flatus absque strepitu emissi inter optima signa sunt; praestat tamen eos cum strepitu prodire, quam illic involvi, quod si hoc pacto accidit, dolorem et delirium denuntiat ([3]).

§. 151. Excrementum, quod est chyli incocti in ventriculo portio faeculentior ([4]) mole, subrufum, figuratum, aequale nec non admodum graveolens bene tubum alimentarem valere declarat ([5]), si vero perliquidum, pallidum, albidum, viscidum, spumans sit, contrarium indicat ([6]). Si faeces in excretione nullum tempus servant atque citius aut tardius evacuantur, indicant absorptionem chyli in intestinis tardiorem fieri propter facultatis assimilatricis et excretricis vitium, vel propter facultatis retentricis debilitatem, aut irritationem intestinorum a bile flava ([7]). Parcius evacuantur faeces propter ciborum parcam assumptio-

---

([1]) Id. ubi. supra p. 240-242.
([2]) Id. Meth. medend. L. XII. c. 8. p. 863.
([3]) Coac. praenot. p. 196.
([4]) THEOPHILUS de excrementis c. 1. p. 242. ed. Guid.
([5]) HIPP. Aph. IV. 13. Prognost. p. 39. GALEN. de crisib. L. I. c. 7.
([6]) HIPP. Prognostic. p. 39.
([7]) THEOPHIL. loc. cit. c. 2. p. 246.

nem, aut alacriorem assimilationem [1]; continuo autem evacuatio faecium accidit propter debilitatem partium iuxta ventriculum adiacentium, vel irritationem intestinorum ab humoribus pravis [2].

§. 152. Deiectae per alvum faeces variant secundum consistentiam, colorem et odorem. Faeces per alvum deiectae, si sint liquidae, actionem hepatis, lienis, intestinorum etc. turbatam esse indicant, quod temperamentum humidum, temporis constitutio humida, secretio hepatis et lienis abundans producit GALENO testante [3]. Aquosae deiectiones mali ominis sunt [4], utpote cum cruditas in humoribus praevaleat, eximio GALENO observante. Deiectiones spumosae colliquationem portendunt, atque symptoma malum statuunt [5].

Quoad colorem faeces sunt sincerae, quae indicant omnem nativam humiditatem a febrili calore exustam et consumptam esse [6], atque symptoma in morbis diuturnis malum praestant [7]; albicantes bilem non secerni praesagiunt atque ab obstructione ductus choledochi vel turbata secretione originem suam petunt [8]; pituitosae indicant solutionem obstructionis in intestino colo [9]; sanguineae oriuntur ab hepate male adfecto, aut intestinorum exulceratione, aut ruptura vasorum [10]; virides ab aeruginosa bile oriuntur atque in morbis malum symptoma

---

(1) Id. loc. cit. c. 3. p. 250.
(2) Id. loc. cit. c. 4. p. 250.
(3) vide P. ALPINI de praes. vita et morte L. VIII. c. XI. p. 484.
(4) Prognostic. p. 40.
(5) Prorrhetic. I. t. 53.
(6) GALEN. Comm. in Aph. VII. 6. p. 107.
(7) HIPP. Aph. VII. 6.
(8) GALENUS Comm. I. in Praedict. I. 13. pag. 542. Comm. II. in Prognost. t. 17, 19. THEOPHIL. loc. cit. p. 252.
(9) THEOPHIL. loc. cit. c. 12. p. 262.
(10) THEOPHIL. loc. cit. c. 11. p. 258.

constituunt ([1]); lividae faeces frigiditatem et mortificationem indicant ([2]); atrae, quae sunt limus sanguinis, qui a splene male habente non attrahitur, ut assimiletur ([3]), cum febre aut sine febre procedentes, pessimae sunt ([4]).

Faeces tandem foetidae enunciant vitam in canali alimentari summe labefactatam esse putredinemque iam caput suum extollere, nec non sphaceli signum portendunt ([5]).

Faeces frequenter per alvum invito emittuntur a paralysi sphincteris ani, mente male habente, quod in phreniticis accidit, aut mente et musculis gravatis, uti in ebrietatibus contingit ([6]).

§. 153. Carunculae per alvum sub dysenteria evacuantur, quae symptoma mortiferum sistunt ([7]), cum exulceratio illa, quae in intestinis oritur, neque carne expleri, neque cicatrice obduci possit ([8]).

Pus, quod per alvum evacuatur, ab abscessu rupto, ad sima hepatis, aut in ventre, aut in intestinis oritur estque fimosum atque foetidum ([9]).

Vermes tandem, qui ex intestinis emittuntur, periculosum symptoma sistunt APOLLONIO monente ([10]), cum putredinem in intestinis adesse indicent ([11]).

([1]) GALEN. de crisib. L. I. c. 4. Comm. II. in Prognost. t. 20.
([2]) THEOPHIL. loc. cit. c. 14. p. 264.
([3]) GALEN. Comm. in Aph. IV. 21. p. 681.
([4]) HIPP. Aph. IV. 21.
([5]) Id. Prognost. p. 40. GALEN. Comm. in Aph. IV. 26. p. 692. THEOPHIL. loc. cit. c. 14. p. 264.
([6]) GALEN. de muscul. mot. L. II. c. 4. p. 439.
([7]) HIPP. Aph. IV. 26.
([8]) GALEN. Comm. in Aph. IV. 26. p. 692.
([9]) THEOPHIL. loc. cit. c. 12. p. 262.
([10]) C. AURELIAN. de morb. chron. L. IV. c. 8. p. 537.
([11]) THEOPHILUS loc. cit. c. 13. p. 264.

Cap. III. DE SYMPTOMATIBUS URINAE.

§. 154. Urinam, foetidum istum humorem excrementium, magnum adiumentum medico esse, medici omnis aevi uno ore testantur. Hippocrates, magnus ille morborum observator, in omnibus fere morbis nunquam neglexit adspicere urinam. Ruphus Ephesius, Galenus posterique medici, uti Palladius Alexandrinus, Magnus, Theophilus, Actuarius aliique medici doctrinam de urinis sedulo navavere([1]). Οὐροσκοπίαν Hippocraticam magni momenti esse viri docti propriis observationibus magna cum veritate demonstravere ([2]). Symptomata, quae in urina observantur, consistunt in phaenomenis, quae organa urinam secernentia, continentia et eliminantia producunt, sicuti etiam quae copia et indoles humoris istius generant.

§. 155. In urina libere mittenda observantur phaenomena quaedam, quae d y s u r i a, s t r a n g u r i a et i s c h u r i a adpellantur.

D y s u r i a e, quae est difficilis cum multo nisu et dolore urinae excretio ([3]), duo dantur species, una cum d o l o r e, et altera cum d i f f i c u l t a t e, ubi vix cystis opus suum urinam excernendi, peragit, auctore Galeno ([4]). Haec vero symptomata inflammationem, abscessum, ulcerationem, spiritum flatulentum, crassum et glutinosum, temperaturam inaequalem, tumorem praeter naturam in canali existentem atque debilitatem facultatis excernentis indicant ([5]).

([1]) Praeter laudatos scriptores scripserunt et alii Graeci de hac materia, qui utplurimum anonymi et inediti sunt, quos tibi monstravit diligentia Th. G u i d o t i i (ad Theophil. de urin p. 147.)

([2]) De Haen Radio medend. P. I. p. 27.

([3]) Hipp. Aph. III. 5, 31. VI. 36. VII. 48.

([4]) Comm. in Aph. VII. 48. p. 153.

([5]) Galen. loc. cit. conf. Gorraei defin. medic. voc. δυσουρία.

Si lotium guttatim cum gravi cruciatu excernitur, stranguria audit ([1]), quae a vesicae facultatis retentricis imbecillitate ex intemperie quadam constructa, lotii acrimonia, pure cum urina commixto, ab abscessu renum aut iecinoris rupto, mechanica coli vesicae per calculum irritatione, oritur ([2]).

Facultas urinam excernendi penitus sublata, **ischuria** audit ([3]), quam imbecillitas vesicae urinariae nata ab intemperie, vel constrictio cervicis vesicae per conniventiam et obstructionem a thrombo, pure pingui, calculo, topho, scirrho, inflammatione etc. ([4]) in meatu ortis producunt.

§. 156. Si urina non possit in vesica retineri involuntarioque modo excernitur, **enuresim** conformat. Hoc symptoma infantibus utplurimum accidit ([5]) atque a resolutione sphincteris vesicae oritur ([6]). Si autem urinae profluvium immodicum sit, διαβήτης audit, qui est celeris evacuatio eorum quae propinata sunt nulla praegressa mutatione ([7]). Oritur diabetes ab extinctione vis attractivae et assimilatricis, sicuti Galenus dicit ([8]) atque A. Trallianus consentit ([9]). Theophilus diabetis causam calidam rerum intemperiem esse opinabatur ([10]), quam opinionem Actuarius adoptavit atque latius prosecutus est ([11]). Secre-

---

([1]) Hipp. de adfect. xxix. Galen. Introduct. c. 13. p. 750.

([2]) Hipp. de morb. L. IV. pag. 513. Galen. Comm. in Aph. V. 58. VII. 48. Introduct. c. 13. p. 750. Cels. de medic. L. II. c. 1. Cato de re rust. c. 156.

([3]) Galen. Introduct. c. 13. p. 750.

([4]) Id. de loc. adfect. L. I. c. 1. p. 7. De caus. sympt. L. III.

([5]) Paul. Aegin. L. III. c. 45. pag. 103. Nonnus de part. morb. curat. cap. 180.

([6]) Galen. de loc. adfect. L. I. c. 1, 6. p. 9, 64.

([7]) Paul. Aegin. L. III. c. 45. p 103.

([8]) De crisibus L. I. c. 3.

([9]) Lib. III. cap. 8.

([10]) De urinis c. 5. p. 80.

([11]) De causis urinar. L. I. c. 4.

tionem istam in renibus augent transpiratio cutanea imminuta ([1]) atque humores biliosi, acres, salsi renes assidue irritantes ([2]). Diabetem excipiunt colliquatio et macies corporis totius ([3]).

§. 157. Praeter symptomata, quae in copia alienata urinae accidunt, dantur etiam et alia, quae in eius liquiditatis gradu, colore, odore varioque, quod deponit sedimentum, observantur.

Substantia urinae vel crassa vel tenuis est ([4]); urina tenuis est symptoma imperfectae elaborationis lotii, quod propter debilitatem coctionis ([5]), vel obstructionem viarum, per quas urina defluit ([6]), oritur; crassa urina ab humorum permixtione oritur, quae in principio adparens indicium abundantiae humorum crassorum est, GALENO testante ([7]).

Colorem urinae in sex varietates divisit GALENUS ([8]); ACTUARIUS vero novem statuit differentias coloris urinae, eàsque nominat albas, spiceas, aureas, croceas, rubras, vineas, pascas, fuscas et tandem nigras. THEOPHILUS ut primarium colorem urinarum album considerat, qui plures continet varietates; si vero tincturam aliquam urinae albae admiscueris, primo fit spicea, huic succurrit color subaureus, deinde rufus, postea subflavus, rursus subruber, ruber, vineus, venetus (κυανὸς), fuscus (χλωρὸν), viridis, qui nunc aeruginosus, smaragdinus et glasteus ap-

---

([1]) ARET. de c. morb. diut. L. I. c. 2.

([2]) GALEN. de loc. adfect. L. VI. c. 3. p. 394. ORIBAS. Synops. L. IV. cap. 4.

([3]) ARET. loc. cic.

([4]) THEOPHIL. de urin. c. 4. p. 76.

([5]) GALEN. de totius morbi tempor. c. 6. pag. 457. ACTUAR. de caus. urin. L. I. c. 12.

([6]) Id. de loc. adfect. L. I. c. 1.

([7]) vide P. ALPINI de praes. vit. et morte L. VII. c. 13. p. 497.

([8]) De crisib. L. I. c. 12. De urinis c. 4.

paret, quae omnia utplurimum a calore oriuntur (¹). Divisionibus urinarum expositis varietates earum brevi penicilo adumbrari oportet.

Urina alba (οὖρον λευκὸν) est illud lotium, quod adparet ad instar vini tenuis albi et similis aquae purae, in qua parum ochrae aut bilis iniectum fuerit (²). Albus color est lacteus, glaucus et ravus (³). ACTUARIUS colorem album divisit in intense et remisse album; prioris coloris urinae sunt eae, quae albedinem crystalli et aquae purissimae habent, alterius vero lactitantes et glaucae (χαρωπαί). Urinae istae ab imbecillitate facultatis concoctricis aut obstructione renum ac hepatis oriuntur (⁴). Si urina alba consistentiae tenuis confuse ac confertim evacuatur, diabetem indicat (⁵). Urina pallida (οὖρον ὠχρὸν) similitudinem aliquam habet cum colore fluidi illius, in quo ochra sit admixta (⁶). ACTUARIUS urinas pallidas adpellat spicas et subspiceas. Urinae pallidae fiunt, si bilis cum serosa humiditate commixta fuerit. Urina flammea (οὖρον πυῤῥὸν) indicat morbum nondum coctum esse. Urina flava (οὖρον ξανθὸν) duas habet varietates, una magis ad album accedit, altera est nitidior. Urina rubra (οὖρον ἐρυθρὸν) ex abundantia sanguinis neque bene in venis iecoris cocti oritur (⁷) atque tres habet varietates, ὑπέρυθρον nimirum, ἐρυθρὸν et ἐξέρυθρον (⁸). Urinae praerubrae indicant summam renum intemperiem, facultatis contentricis imbecillitatem nec non

---

(¹) THEOPHIL. de urinis c. 6. p. 82.
(²) GALEN. de crisib. L. I. c. 12.
(³) THEOPHIL. de urinis c. 6. p. 82.
(⁴) GALEN. Comm. in Aph. IV. 72.
(⁵) THEOPHIL. de urinis c. 5. p. 78.
(⁶) Id. ubi supra p. 80.
(⁷) GALEN. Comm. I. in III. Epidem. t. 1, 27. Comm. V. in VI. Epidem. t. 14.
(⁸) Id. Comm. II. in Prognost. t. 25.

longitudinem morbi, vel eius in alium transitum (1). Urina viridis ad colorem brasicae atque herbarum adpropinquat estque semper mala (2). Urina nigra (οὖρον μέλαν) oritur a sero bilis atrae una cum excrementis aquosis commixto (3), vel frigiditate (4) in turbulentis ac vigilibus signum phrenitidis sistit (5). Urinae nigrae frequenter observantur in iuvenibus, et iis, qui solubiles humores habent (6). Urina oleginosa oritur a liquefacta pinguedine et carne corporis per febrem (7). Urinae oleginosae in principio liquefactionis videntur olei colorem (ἐλαιόχροα) habere, augescente ea, ἐλαιοφανῆ et ultimo vero statu oleginosae (ἐλαιώδη) sunt (8). Oleginosae urinae in morbis mortem indicant (9).

Odor, quem spargit urina, indicat statum internum corporis, ex quo ista secernitur. Urina male olens putredinis, colliquationis et mortis indicium est (10).

Contenta in urina secundum variam distantiam a fundo vasculi variis nominibus adpellantur, uti nubecula (νεφέλη), enaeorema (ἐναιώρημα) atque sedimentum (ὑπόστασις), quae optime poëta quidam hocce modo expressit:

In summo est nubes, subsidit hypostasis imo
Ast enaeorema permanet in medio.

Nubeculae in morbis vario modo sunt constitutae. Nube-

---

(1) Coac. praenot. §. 586.

(2) Theophil. de urin. c. 6. p. 85. Galen. de crisib. L. I. 12.

(3) Galen. Comm. I. in Prorrhet. I. 4. p. 512.

(4) Aetius Tetrab. II. S. I. c. 44.

(5) Prorrhetic. I. 4.

(6) Ruphus Ephes. de morb. vesic. c. 16. p. 87. ed. Matth.

(7) Galen. de urin. c. 24. Aet. Tetrab. L. V. c. 83. Actuar. de diff. urin. L. I. c. 8. Theophil. de urin. c. 17. p. 124.

(8) Theophil. loc. cit. p. 126.

(9) Galen. de tot. morb. tempor. c. 6. p. 457.

(10) Id. loc. cit. pag. 457. De urin. c. 30. De crisib. L. I. c. 12. Theophil. de urin. cap. 22. pag. 134. Actuar. de iudic. urin. L. II. cap. 17.

culae pingues renum adfectionem indicant ([1]); quae autem deorsum feruntur, bonae, quae vero sursum, malae ([2]); si color nubecularum aeruginosus, lividus et niger sit, malum est symptoma ([3]). Enaeorema nunc est tenue et nubeculae simile, quod ab HIPPOCRATE ἐναιώρημα ἐπινεφέλιον audit ([4]), nunc massae seminali simile (γονοειδὲς) ([5]), nunc rotundum, dispersum, non residens ([6]). Optimum est illud, quod album, laeve ac aequale est ([7]). Sedimenti tres species HIPPOCRATES et GALENUS statuerunt, quae farinacea (ὑπος. κριμνώδεις), foliacea (πεταλώδεις) et furfuracea (πιτυρώδεις) audiunt; producunt sedimenta talia sanguis crassior, carnium inaequalis consumptio, caliditates febris consumentis et ardentis ([8]). Sedimenta furfuracea scabiem vesicae urinariae indicant ([9]); sedimenta foliacea indicant ulcerationem vesicae urinariae ([10]); sedimenta farinacea indicant sanguinem valde assatum esse, aut colliquationem partium corporis solidarum ([11]). Occurrunt tamen et aliae varietates sedimentorum, quae ervo similes sunt, aut cum arena et pure commixtae sunt. Ervosa sedimenta oriuntur a renum aut totius corporis carne liquefacta ([12]); sedimenta

---

([1]) HIPP. Aph. VII. 35. GALEN. Comm. II. in Progn. t. 35.
([2]) Prognost. t. 80. GALEN. Comm. II. in Progn. t. 36.
([3]) Praedict. I. 4. Progn. t. 74. Coac. §. 2. 577.
([4]) Epid. III. aegr. 1, 3, 5.
([5]) Epid. L. I. aegr. 1. L. III. aegr. 3.
([6]) Epidem. L. III. aegr. 2.
([7]) GALEN. Comm. II. in Praedict. I. 36. p. 588.
([8]) HIPP. Progn. II. 48. GALEN. Comm. in h. l.
([9]) HIPP. Aph. IV. 77. de nat. hum. p. 231. ALEX. TRALLIAN. L. IX. c. 7. PAUL. AEGIN. L. III. c. 45. p. 102. ACTUAR. de urin. L. I. cap. 15.
([10]) GALEN. de loc. adfect. L. I. c. 1. p. 4.
([11]) Id. de crisib. L. I. c. XII. THEOPHIL. loc. cit. pag. 132.
([12]) Id. de urinis c. 25. AET. Tetrab. L. V. c. 39. ACTUAR. de urin. c. 20. THEOPHIL. ub. supr. c. 18. p. 128.

arenosa lithiaseos symptoma sunt ([1]), puriformia autem ulcerationem vesicae aut organorum uropoeticorum indicant. Pus, quod cum urina emissum fuerit, mechanice in lotio inhaerens aut purum sine urina excretum sit, vesicae ulceratae signum est; si vero pus exacte commixtum est, supernas partes male se habere indicat; si tandem mediam inter haec consistentiam servaverit, renes adfectos esse declarat ([2]).

Cap. IV. DE SYMPTOMATIBUS FUNCTIONUM SEXUS.

§. 158. Functiones sexus duplices sunt, viriles nempe et foemineae, quibus multae et diversae accidunt molestiae respectu secretorum et contentorum, quas medicorum cohors investigare ac exponere studuit.

a) DE SYMPTOMATIBUS SEXUS VIRILIS.

§. 159. Symptomata, quae in sexu virili observantur, consistunt in seminis excretione atque haemorrhoidum. Miranda divinae naturae providentia nisum quendam generi humano inchoavit, ut per coitum maris foemineique ad aeternum propagetur genus humanum. Propagatio autem per coitum diversa producit symptomata, quae magni momenti sunt. Coitus mediocris iuvat, cum plethoram evacuet, corpus levius efficiat, atque ad augmentum eius conducat et magis virile id constituat ([3]). Abusus vero in coitu corpus debilius, rarius ac frigidius facit ([4]), epilepsiam,

---

([1]) Galen. de loc. adfect. L. I. c. 1. p. 10.

([2]) Hippocrat. Aph. IV. 75. Galen. de loc. adf. L. VI. cap. 4. pag. 410.

([3]) P. Aegin. L. I. c. 35. p. 10.

([4]) Galen. de sanit. tuend. L. III. c. 11. p. 224. Paul. Aegin. loc. cit. p. 11.

habitum effoeminatum, stupiditatem ([1]), hebetudinem oculorum ([2]) ac mortem ipsam producit ([3]). Neque mirum, cum humor nobilissimus iste ab omnibus corporis partibus secernatur ([4]) et cerebri partem efficiat, uti PYTHAGORAS candide monet ([5]).

Semen in sexu potiori non raro cole pudendi haudquaquam extenso fluit (γονόῤῥοια), quod laxitas vasorum seminalium producit ([6]). Invita seminis excretio per noctem (ὀνείρωξις) tabem dorsalem, morbum dirissimum, producit, qui utplurimum hominibus libidinosis et recenter sponsis amicus est ([7]). Pollutionem vero nocturnam producit decubitus supinus, uti ARISTOTELES ([8]) ac THEOPHRASTUS monuerunt ([9]), quod HORATIUS non caste atque petulantia quadam adumbravit, canens:

Tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant ventremque supinum ([10]).

Impedita seminis excretio voluntaria gravedinem in capite, febrem, appententiam depravatam, torporem, moestitiam, timiditatem et debilitatem virium producit ([11]). Meatus, per quem semen eiaculatur, interdum vinculo quodam ad virgae finem contorquetur et semen exire impedit.

([1]) Id. de loc. adfect. L. V. c. 6. p. 341. CENSOR. de die natal. cap. 5.
([2]) ARISTOT. Problem. S. III. 3. p. 540.
([3]) GALEN. de semin. L. I. c. 16. p. 588.
([4]) HIPP. de genit. p. 232.
([5]) GALEN. hist. philos. c. 31. p. 321.
([6]) Id. de loc. adf. L. V. c. 6. p. 438, 441. defin. medic. c. 288. p. 496. P. AEGIN. L. III. c. 55. p. 111.
([7]) HIPP. de morb. L. II. p. 479.
([8]) Problem. S. X. 18.
([9]) De lassitud. p. 460.
([10]) Satyr. V. v. 84.
([11]) GALEN. de loc. adfect. L. VI. c. 5. pag. 417, 418. Comm. III. in III. Epid. t. 87. p. 790.

Morboso hoc statu homines praediti **hypospadiaei** adpellantur ([1]).

§. 160. Haemorrhoidum fluxus, qui omnibus hominibus in omni aetate et omnibus anni temporibus accidit, originem suam petit ab atra bile, quae ad venas uberius cumulatiusque decumbit et sanguinis faecem evacuat ([2]). Haemorrhoides suppressae, graves insanabilesque producunt morbos; suppresso enim fluxu haemorrhoidum hepar scirrhosum evadit, sanguificatio rite non procedit, atque hydrops, phthisis, haemoptoe, tabes, peripneumonia ([3]), furor ([4]), teter edaxque cancer ([5]), mors epileptica ([6]) etc. oriuntur.

b) SYMPTOMATA SEXUS FOEMINEI.

§. 161. Symptomata, quae in sexu sequiori observantur, conformat caterva menstruorum, partus, lochiorum, abortus etc., quae vario modo turbantur.

Menstrua (καταμήνια), quae omni mense lunari apparent ([7]), multiplicibus aberrationibus subdita sunt; aberrationes istae observantur in quantitate et qualitate menstruorum, nec non loco, e quo fluunt.

Menses peccant in quantitate, si profusi vel parci sint. Profusa menstrua oriuntur a venarum uteri orificiis

---

([1]) Id. de usu part. L. XV. c. 3. p. 221.

([2]) Hippocr. Aph. III. 30. VI. 11, 12. Galen. Comm. III. de humorib. t. 26. p. 454.

([3]) Hippocr. Aph. III. 12. Galen. Comm. de humorib. p. 454, 455. Adv. Erasistr. c. 5. pap. 166. Aetius. Tetrab. IV. S. II. c. 5. P. Aegin. L. III. c. 31. p. 88. Actuar. de med. meth. L. I. c. 20.

([4]) Hipp. Epid. L. IV. p. 1139.

([5]) Id. Epid. L. V. p. 1147.

([6]) Coac. praenot. §. 3.

([7]) Galen. adv. Erasistr. c. 5. p. 164. De diebus decret. L. III. c. 4. Moschion. de mulier. passion. c. 12, 13. p. 6. conf. Phil. Fr. Walther's *Physiologie des Menschen* §. 630.

apertis, sanguinis tenuitate, cachexia corporis totius ([1]). Ex immodico menstruorum fluxu oriuntur decoloratio corporis, pedum oedemata, concoctionis depravatio ([2]). Retenta non raro menstrua apparent, exceptis qnibusdam momentis, graviditate nempe, lactatu ac reconvalescentia a longo morbo ([3]). Retentionem menstruorum producunt metamorphoses genitalium, inflammatio uteri, obstructio osculorum uteri, sanguinis crassities, dyscrasia, abortus, adfectio chronica thoracis, inperforatio uteri etc. ([4]). A retentis menstruis uterus incalescit calorque reliquo corpori distribuitur, sanguinis plethora exsurgit atque dolores producit, hydrops, nausea, vomitus, haemoptoe, respirationis atque vocis defectus, asthma, apoplexia, febres ardentes, tumores circa regionem inguinalem, suffocatio ab utero (ὑςερικὴ πνὶξ), podagra nodosa etc. oriuntur ([5]).

Menses peccant et in qualitate, secundum quam tenuiores, spissiores, coagulati, coloris obscuri aut laetioris, male olentes, commixti cum pure etc. apparent ([6]). Menses purulenti ab ulcere in utero oriuntur ([7]).

([1]) Galen. Comm. in Aph. V. 57. Moschion. l. c. p. 88.

([2]) Hipp. Aph. V. 57. Galen. de loc. adfect. L. V. c. 5. p. 435.

([3]) Hipp. de nat. puer. p. 236. Galen. adv. Erasistr. c. 5. p. 164. De optima sect. c. 26. p. 177. Moschion. l. c. p. 9. Plutarch. de amore prolis p. 928. Tom. VII.

([4]) Hipp. de morb. mulier. p. 566. Galen. Comm. I. ad Epid. VI. t. 7. p. 842. P. Aegin. L. III. c. 61. L. VI. c. 72. p. 114, 202. Moschion. loc. cit. p. 58. Nonnus de part. morb. cur. c. 203.

([5]) Hipp. Aph. V. 32. Epid. L. IV. p. 1135. De morb. mulier. L. I. p. 59. De nat. puer. p. 237. Aph VI. 29. Galen. de loc. adf. L. V. c. 7. L. VI. c. 5. p. 354. Comm. III. de humor. t. 24. p. 441. De venaes. adv. Erasistr. c. 5. p. 165. Aet. Tetr. IV. S. IV. c. 53. P. Aegin. L. III. c. 31. p. 88. Nonus de part. morb. cur. cap. 202. Cels. L. IV. c. 24.

([6]) Hipp. de morb. mulier. L. I. p. 590. Aph. V. 36.

([7]) Hipp. de morb. mulier. L. I. p. 590.

Secretio illa, quae periodice per uterum evacuatur, non raro per alia organa eodem tempore fluere solet. Nam narium haemorrhagia ([1]), quandoque etiam alvi cruenta deiectio ([2]) menstruorum evacuationem excipit.

Partus quoque producit varia symptomata. Etenim partus difficile procedit (δυςοκία) a matris constitutione imbecilliori atque sicciori, utero parvo, pingui, spasmo genitalium, pelvis mala conformatione, foetus magnitudine, crassitie corii aut tenuitate eius, propter quam cito dirumpitur atque aqua effunditur etc. ([3]). Pessimus est partus, qui post egestum nimium ([4]), tenesmum ([5]) etc. oritur.

Abortum producunt terror, dolor, irritatio medicamentorum abortivorum, venena, venaesectio larga, haemorrhagia traumatica, saltus vehemens etc. ([6]). Ab abortu oriuntur convulsiones ([7]) atque inflammatio uteri ([8]).

Lochia (λοχίη κάθαρσις), quae sub puerperio secernuntur, profusa vel parciora vel penitus suppressa, vel tandem ad indolem alienata adparent; lochia profusa animi deliquium ([9]) producunt; parciora autem et penitus suppressa reddunt angustum uteri orificium inflammatioque genitalium ([10]); oriuntur e suppressis lochiis tumores ventris ac crurum, animi deliquium ([11]) ac mors ipsa mi-

---

([1]) Id. Aph. V. 33. P. Alpinus vidit in Cayro foeminam, quae singulis mensibus menstruabatur per nares, de praes. vita et mort. L. VI. c. 13. p. 413.

([2]) Galen. Comm. ad Aph. V. 33. p. 823.

([3]) P. Aegin. L. III. c. 56. p. 122. Moschion. l. c. p. 92, 93, 98.

([4]) Hipp. Aphorism. V. 34.

([5]) Hipp. Aph. VII. 27.

([6]) Hipp. Aph. V. 30. Galen. Comm. II. ad Epid. III. t. 8. p. 635.

([7]) Aret. de caus. et sign. ac morb. L. I. c. 6. p. 3.

([8]) P. Aegin. L. III. c. 65. p. 115.

([9]) Galen. Meth. med. ad Glauc. L. I. c. 16. p. 47.

([10]) Hipp. de morb. mulier. L. I. p. 606.

([11]) Id. loc. cit.

natur ([1]). Alienatae indolis lochia sunt, si cum iis pus, sanies, mucus puriformis commixta sint, quae uterum et vaginam exulceratam esse indicant ([2]).

§. 162. Ex utero secernitur humor quidam albus seminique similis, acris, pruritum cum voluptate producunt, qui ῥοῦς γυναικεῖος et ab ARETAEO γονόῤῥοια γυναικείη adpellatur ([3]). Producunt leucorrhoeam sanguinis serosa et tenuis constitutio, uteri et vaginae prolapsus ([4]). Oriuntur a leucorrhoea tumor faciei, oculorum adspectus deformis, non fulgidus gramiosus et caligans, genuum impotentia ([5]), cachexia hydropica ([6]), appetitus prostratus, dyspnoea etc. ([7]). Fluor albus senioribus magis quam iunioribus accidit ([8]).

APPENDIX.

§. 163. Symptomatum caterva lustrata differentias morborum accidentales ut exponamus nunc restat. Differentiae vero istae a sede, quam occupat morbus atque e tempore inter quod decursum suum explet, typo etc. determinantur.

DE MORBORUM DIFFERENTIIS A SEDE.

§. 164. Morbos in corporis parte aliqua sedem suam habere GALENUS testatur ([9]). Sedes autem diversa diver-

([1]) Id. de natur. puer. p. 239.
([2]) Id. de morb. mulier. L. I. p. 605.
([3]) De caus. et sign. morb. diut. L. II. c. XI. p. 64.
([4]) GALEN. de diff. sympt. c. 6. p. 80. AET. Tetr. IV. S. IV. c. 65.
([5]) HIPP. de morb. mulier. L. II. p. 641.
([6]) GALEN. de loc. adfect. L. V. c. 7. p. 354.
([7]) P. AEGIN. L. III. c. 61. p. 115.
([8]) HIPP. de morb. mulier. L. II. p. 637.
([9]) De loc. adfect. L. I. c. 3.

sas differentias morborum producit, secundum quam morborum alii externi, alii interni, alii fixi et alii vagi sunt. Inprimis autem maiorem attentionem poscunt morbi, qui per ἰδιοπάθειαν et συμπάθειαν oriuntur. Morbus idiopathicus est, qui separata causa, quae eum produxit, permanere potest; sympathicus autem, qui alterius partis vitio, cui inest, communicatur ([1]). Sympathicam adfectionem ARCHIGENES umbram morbi adpellavit.

DE MORBORUM DIFFERENTIIS A SOCIETATE HUMANA.

§. 165. Morbi non tantum unum hominem, sed multos simul invadere solent. Morbi secundum hoc spectati dividuntur in eos, qui communiter multos invadunt (πανδήμους) et eos, qui per certam societatem humanam proserpunt (σποραδικά). Morbi πάνδημοι dividuntur in endemicos (ἔνδημα) et epidemicos (ἐπίδημα) ([2]). Morbi endemici sunt, qui perpetuo certis locis adhaerent; morbi epidemici, qui temporibus quibusdam in eodem loco per populum diffunduntur ([3]).

Morbi epidemici dividuntur in pestilentiales (λοιμώδεις) et eos, qui per populum grassantur (ἐπιδήμιοι) ([4]). Oriuntur morbi epidemici a constitutione aeris, quae primariam differentiam inter morbos epidemicos et eos, qui ab errore diaetetico oriuntur, sistit HIPPOCRATE ([5]) et PLATONE ([6]) testantibus; a victu et potu pravo, locis paludosis, evaporationibus venenatis ([7]), bellis, quae typhum bellicum pro-

---

([1]) GALEN. de loc. adfect. L. I. cap. 2, 3. pag. 25, 30.

([2]) Id. Comm. I. in I. Epid. p. 12. Definit. medic. p. 391.

([3]) Id. Comm. I. in I. Epid. p. 11. Defin. medic. p. 311.

([4]) Id. Comm. I. in libr. de rat. vict. in morb. acut.

([5]) De nat. hum. §. 18. et 19, p. 273. De humorib. §. 6. p. 322. De flatib. §. 7, 8, 9. p. 403.

([6]) De Republica L. III. p. 301. Tom. VI.

([7]) P. AEGIN. L. II. c. 34. p. 44.

ducunt, uti patet ab enarrationibus XENOPHONTIS, PLUTARCHI, DIODORI, PLINII, LIVII atque historicorum et medicorum omnis aevi, quas vir et arte et facundia insignis, semperque cum reverentia dicendus, permagnus HUFELANDIUS, suis observationibus suffultus exposuit ([1]).

DIFFERENTIAE MORBORUM E DECURSU.

§. 165. Omnis morbus sicuti aetas humana vario modo mutatur ab illo momento, quo incepit, usque ad eius finem ([2]). Divus SENEX tria proposuit stadia morbi, cruditatem nimirum, coctionem et crisin. ARCHIGENES autem duo esse morbi stadia dixit, vigorem nempe et declinationem ([3]). GALENUS vero decursum morbi in quatuor partes divisit, atque primum stadium generationis (γενέσεως), alterum incrementi (ἀναβάσεως), tertium acmes (ἀκμῆς), et ultimum decrementi (παρακμῆς) adpellavit ([4]). Divisionem GALENI sequentes exponemus mutationes, quae in corpore humano accidunt.

Stadium generationis est illud momentum, quo morbus incipit formari ([5]). Momentum illud quanquam multimodis sit obscurum, tamen utplurimum per pervigilium, inappetentiam, gravamen capitis, delassationem et dedolationem corporis determinatur ([6]). Incrementi stadium est, quando symptomata morbosa incipiunt augeri ([7]). Stadium acmes est, quando symptomata culmen suum

---

([1]) *Über die Kriegspest alter und neuer Zeit*, pag. 35. (*Berlin* 1814. 8.).

([2]) Μόνη δὲ ἡ τῶν νοσημάτων, ὡς εἴρηται ἡλικία, χρόνων ἀμοιβαῖς ὑπαλαττομένη, καθάπερ καὶ τὸ ζῶον ταῖς ἡλικίαις. GALEN. de morb. temporib. c. 1. p. 406. Tom. VII.

([3]) GALEN. de morb. temporib. c. 2. p. 409.

([4]) Id. tot. morb. tempor. c. 1. p. 440. De crisib. L. I. c. 2.

([5]) GALEN. de tot. morb. tempor. c. 2. p. 441.

([6]) Id. de dieb. critic. L. I. c. 6.

([7]) Id. de tot. morb. temp. c. 3. p. 444.

attingunt; acme autem non est perpetuo temporis expers, uti quidam veterum voluere, sed cursum suum semper absolvit aut longiori aut minori spatio, omnino autem sensibili, GALENO observante (¹). Morbus tandem, postquam culmen suum attigit, decrescit, quod lato spatio constat, uti in morbis, qui per haemorrhagias, sudores etc. solvuntur, videre licet (²).

DE MORBI TYPO.

§. 166. Typus est ordo intentionis et remissionis, secundum GALENI definitionem (³). Dividuntur typi morborum in primos et secundos, consistentes, mobiles, simplices et compositos. Primi (πρῶτοι) sunt ii, qui parvam habent invasionem, longam autem remissionem, sicuti in febribus tertianis observatur; secundi (δεύτεροι) sunt, qui longam habent invasionem, parvam autem remissionem, tales typi occurrunt in febribus quotidianis et extensis semitertianis; consistentes (ἑςῶτες) sunt, qui iisdem horis invadunt et remittuntur; mobiles (κινούμενοι), qui semper aliis horis invadunt, quos quidem in anticipantes (προληπτικοὶ), qui praevertunt et horas citius promovent, et posticipantes (ὑςερητικοὶ), si tarditant; simplices (ἁπλοῖ), qui unam faciunt intermissionem; compositi (σύνθετοι) tandem, qui ex pluribus constant invasionibus. Compositi componuntur e similibus (ὁμογενεῖς) et dissimilibus (ἑτερογενεῖς). Similes sunt ii, quando quotidianus typus simplex, ex. gratia duplici quotidiano commiscetur, aut tertiani duplices, aut tres tertiani concurrunt, aut rursus duo et tres quartani. Dissimiles sunt, quando quotidianus, verbi causa.

(¹) De tot. morb. temp. c. 4. p. 448, 449.
(²) GALEN. loc. cit. p. 444.
(³) De typis c. 2. p. 463. Tom. VII.

tertiano complicatur, aut tertianus quartano, aut alteri cuipiam ex iis, qui eiusdem generis non sunt ([1]).

§. 167. Cyclus, quem morbus post unam exacerbationem et remissionem describit, periodus appellatur ([2]). Circumscribunt periodum istam morbi et praecipue febres, nunc inter 24 horas, et audiunt quotidianae, nunc inter 48 horas, quas tertianas adpellant, nunc vero inter 72, et tunc quartanae nominantur ([3]). Dividitur circuitus morbi in duas maiores partes; unam primae accessionis, a primo insultu ad extremam usque remissionem, alteram inter declinationem et secundae accessionis insultum ([4]); prior autem huius circuitus pars paroxysmus (παροξυσμὸς), altera autem remissio (ἄνεσις vel διάλειμμα) adpellatur ([5]).

DIFFERENTIAE MORBORUM A CURSU.

§. 169. Morbus differentias multas in moras suas subit, quas nunc tangi oportet. Morborum cursus aut celer aut tardus esse potest. Morbi, qui celeriter decurrunt atque periculositatem secum inferrunt, acuti (νόσημα ὀξὺ), qui vero lento passu decurrunt atque per multum tempus durant, chronici (νόσ. χρόνιον) audiunt ([6]). Divisionem morborum in acutos et chronicos ASCLEPIADES molitus est. Acutos morbos diviserunt veteres in peracutos et subacutos, quippe quod morbus 4to vel 7mo, 20mo vel 30mo die terminatur ([7]).

([1]) GALEN. de typis c. 3. p. 464, 465.
([2]) Id. de typis c. 2. p. 463. Adv. eos, qui de typis scrips. c. 1. p. 476. De morb. tempor. c. 2. p. 412.
([3]) Id. de morb. temporib. c. 2. p. 412.
([4]) Id. ib. pag. 425.
([5]) Id. loc. cit. p. 426.
([6]) Id. definit. medic. p. 388, 389.
([7]) Id. de dieb. decretor. L. II. c. 12. p. 886.

Morborum quidam a primo invasionis momento usque ad finem tenore iugi decurrunt, atque continui (νῦσος ξυνεχής) adpellantur; alii autem interposita remissione iterum cursum suum absolvunt, intermittentesque ideo audiunt ([1]).

Partitio morborum ista dependet a constitutione corporis ([2]), materia corporis altius irradicata ([3]), locorum adfectione ([4]) etc.

DIFFERENTIAE MORBORUM AB EVENTU.

§. 170. Humana physis postquam cum morbo luctavit, aut eum vincit, aut ea victis manus tradit. Morbi igitur ratione eventus aut sanescunt, aut occidunt, aut transeunt in alios morbos ([5]).

§. 171. Natura moliente ut morbus sanescat momentum istud cum statu quodam gravi decernit. Momentum autem hoc κρίσις audit ([6]), quae vel πέψει vel ἀποςάσει fieri credebatur ([7]). Naturae illa contentio aut **bona** est, si morbum uno ictu subvertit atque sanitatem reddit ([8]), aut **mala**, cum **interrupte** ac **imperfecte**, **praecocius** aut **serotinus** fiat ([9]). **Imperfecta** est crisis, si morbus non bene solutus sit ([10]). Sub molimine isto naturae varia accidunt symptomata, ingens nempe corporis inquies, diuturna et nocturna anxietas, spiratio difficilis, pulsus magnus, vigilia, sopor,

([1]) Hipp. Epidem. L. III. aegr. 111.

([2]) Ἡ διάθεσις ἡ δυσκινητοτέρα καὶ ψυχροτέρα καὶ πυκνοτέρα χρονεῖ. Galen. de crisib. L. II. c. 11.

([3]) Galen. Meth. medend. L. IX. c. 1.

([4]) Id. de crisib. L. II. c. 11. ([5]) Id. de crisib. L. III. c. 1. p. 702.

([6]) Id. de crisib. L. I. c. 1. p. 550. Comm. II. de humor. t. 20. pag. 273.

([7]) Vide ingeniosissimi ac amantissimi Fr. G. Becker, de historica medicinae explicatione Berolin. 1830. 8. p. 18.

([8]) Galen. Comm. in Aph. II. 13. Oribas. Synops. L. VI. c. 2.

([9]) Id. de dieb. decretor. L. I. c. 2. ([10]) Id. de crisib. L. III.

vertigo, stupor sensuum, oblivio rerum, convulsiones vehementes, aurium sonitus, oculorum rubor, lacrumatio, etc. ([1]). Fiunt autem iudicationes per metastasim ac expulsionem veram humidorum Coa Schola ([2]) et GALENO ([3]) testantibus. Profluvia humorum sunt sanguis, sudor, urina, salivae fluxus, sputa, vomitus etc. ([4]). Excretiones vero istae sunt criticae, si recto tempore oriantur atque decrementum morbi adferant ([5]).

§. 171. Morborum iudicatio diebus quibusdam determinatis accidit, HIPPOCRATE observante. Contra hanc veritatem ASCLEPIADES ([6]) atque CELSUS ([7]) insurrexerunt, paradoxe observatum HIPPOCRATIS labefactare studentes; ASCLEPIADEM imitati sunt et quidam recentiorum, contra quos summus BAGLIVI ([8]), clar. DE HAEN aliique docti ac periti medici mascule contradixere atque palmam HIPPOCRATI merito tribuerunt.

Dies critici (ἡμέραι κρίσιμοι) sunt illi, in quibus mutationes criticae fidae ac multae fiunt ([9]). Dividuntur dies critici in pares ac impares, vere criticos atque indices. Dies pares secundum HIPPOCRATEM IV. VI. VIII. X. XIV. XX. XXIV. XXVIII. XXX. XXXIV. LX. LXXX. C. CXX.; dies impares sunt I. III. V. VII. IX. XI. XVII. XXI. XXVII.

([1]) HIPPOCR. Aph. II. 13. IV. 29. 58. 63. Coac. praenot. §. 1. Epidem. L. I. S. I. GALEN. Comm. II. de humor. t. 5. p. 228. De crisib. L. III. c. 2. p. 704.

([2]) Coac. praenot. §. 1.

([3]) De crisib. L. III. c. 2. p. 703.

([4]) GALEN. de crisib. L. III. c. 7. p. 731.

([5]) Id. de crisib. L. I. c. 6. p. 735.

([6]) Id. de crisib. L. III. c. 8. p. 735.

([7]) De medicin. L. III. c. 4.

([8]) Prax. medic. L. II. c. 12. pag. 233. (Oper. ed. Lugd.) conf. SPRENGEL *Apologie des Hippocrates* Bd. I. p. 131.

([9]) GALEN. Comm. III. in Prognost. p. 232.

XXXI.; dies autem indices (ἐπίδηλοι) indicant signum quoddam futurae in alio quodam criticorum dierum criseos ([1]).

Omnis autem morbus in solutione non semper die critico aut indice solvitur; multae enim causae existunt, quae morborum periodos extendere aut retardare possunt; hanc ob rem inter dies indices et criticos inseruerunt veteres sic dictos dies intercallares, intermedios. Dies intercallares sunt III. IX. XIII. XV. XIX. etc. ([2]); reliqui vero dies morbi vacui aut medicinales audiunt, cum in iis tempus securissimum sit, ut aegroti medicamen accipiant ([3]).

§. 172. Quod vero ad causam dierum criticorum attinet varias opiniones habuerunt veteres. Multi veterum in luna falcata (σελήνη μηνοειδής), alii ad plenilunium referunt ([4]) crises morborum; alii vero vim vitalem ad causam criseos contribuere opinati sunt.

§. 173. Iudicatio per metastasim accidit, quae significat morbi depositionam et transitum. Causae metastaseos irradicantur in materia morbi vel legibus sympathiae atque consensus ([5]); GALENUS causam in pneumate quaesivit ([6]). Metastases sunt salutares, quae in partes ignobiliores fiunt; quae vero in partes praestantiores, perniciosae ([7]).

§. 174. Ultimus et gravissimus morbi exitus mors est ultima linea rerum. Oritur mors secundum HIPPOCRATEM ab exsiccatione, humiditate ([8]), aut refrigeratione caloris in sanguine contenti, EMPEDOCLE opinante ([9]), aut a

---

([1]) GALEN. Comm. in Aphor. II.
([2]) Id. Comm. III. in Prognostic. t. 1.
([3]) vide P. ALPINI. de praesag. vit. et mort. L. II.
([4]) GALEN. de dieb. critic. L. III. c. 5. p. 910.
([5]) HIPP. Epidem. L. II. p. 999.
([6]) De caus. morbor. c. 6. p. 24.
([7]) GALEN. Comm. II. de humor. t. 11. p. 247.
([8]) Aphorism. VIII. 17.
([9]) PLUTARCH. de placid. philos. L. V. 24.

natura absolute prostrata ([1]). Symptomata vero, quae ante mortem accidunt, sunt varia; pulmones nimirum incipiunt munere se abdicare spiritusque tristius atque cum stertore (μετὰ μυχθισμοῦ) ducitur, HIPPOCRATE observante, torpor sensim sensimque nobiliora corripit organa, aut animus liberus ab omni torpore de immortalitate animae futura praesagit atque letiferi morbi appropinquans momentum interdum divinatur ([2]), moribundique Dei Optimi, Maximi, immortalis paternae providentiae confidentes ad illud divinum animarum concilium coetumque serena fronte proficiscuntur.

Τῇπερ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισι
Οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ' χειμὼν πολὺς, οὔτε πότ' ὄμβρος
'Αλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
'Ωκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους ([3]).

([1]) GALEN. de crisib. L. III. c. 5. p. 727.
([2]) ARET. de caus. et sign. morb. acut. CICERO de divination. L. I. c. 30.
([3]) HOMER. Odys. R. IV. v. 568.